

ANALECTA  
MONUMENTORUM  
HUNGARIAE  
HISTORICORUM  
LITERARIORUM  
MAXIMUM  
INEDITA





**ANALECTA  
MONUMENTORUM  
HUNGARIAE**

**ANALECTA  
MONUMENTORUM  
HUNGARIAE  
HISTORICORUM LITERARIORUM  
MAXIMUM INEDITA**

quae  
collegit, recensuit  
et partim typis commendavit

**FRANCISCUS TOLDY**

ac  
commentariis, epilogo et indice  
aucta publici iuris facienda curavit

**GEISA ÉRSZEGI**

IN AEDIBUS  
BIBLIOTHECAE ACADEMIAE SCIENTIARUM HUNGARIAE  
BUDAPESTINI MCMLXXXVI

ANALECTA  
MONUMENTORUM  
HUNGARIAE  
HISTORICORUM LITERARIORUM  
MAXIMUM INEDITA  
COLLEGIT RECENSUIT EDIDIT  
FRANCISCUS TOLDY

PHIL. ET MED. DR. REG. SCIENT. UNIVERSITATIS HVNG.  
BIBLIOTHECAE PRAEFECTVS ET LITERARVM HVNG.  
PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE SCIENT. HVNG. MEMBRVM  
ORD. CAESAREAE SC. ACAD. QVAE VINDOBONAE EST  
SOCIETATVM REG. HVNG. NATVRAE SCRVTAT.  
PHYSICO MED. DRESDENSIS PHILOS. MED. HERBI POL.  
GENER. HISTOR. CIBINIENSIS ETC. SODALIS INSTITUTI  
ELEG. ART. HVNG.  
PROPRAESES

TOMVS PRIMVS

PESTHINI  
TYPIS EXSCRIPTIS ET VENVNDAT GVSTAVVS EMICH  
ACAD. HVNG. TYPOGRAPHVS  
MDCCCLXII

ILLVSTRISSIMO CLARISSIMO QVE  
VIRO  
IOSEPHO LIB.BARONI RVDICS DE ALMÁS  
IVRIS VNIV.ET PHILOS.DOCTORI  
VTRIVSQVE IVBILARI S.C.REG.APOST.  
MAIESTATIS CONSILIARIO ORDINIS  
PONTIFICII CHRISTI HVNGAR.AVRATO  
EQVITI COMITATVVM BÁCS ET BODROG  
LEGE REGNI VNITORVM SVPREMO COMITI  
FACULTATVM VNIV.HVNG.IVRID.ET  
PHILOS.SOCIO LITERARVM PATRIARVM  
FAVTORI MVNIFICO  
CULTUS GRATIARVMQVE ERGO

## PROOEMIVM

Utile fore crediderim, ut antiquioris literaturae patriae, praesertim vero historiae cultoribus minora ingeniorum rerum Hungaricarum monumenta, quae hactenus vel ignota delitescebant vel inedita saltem vel demum edita quidem, sed rarissima aut aliis operibus adnexa, minus prompte, nostras ad manus essent, in corpus unum congesta typis mandentur.

Suppeditant talia non pauca bibliothecae nostrae patriae tam quae Pesthini sunt, ut Universitatis, Academiae Hungariae Scientiarum, Musei Nationalis quam aliae in regno dispersae, quaedam librariae orarum exterarum, quas mihi invisendi passim occasio fuit. Habeoque plura iam descripta, de aliarum copia me viri eruditii certum fecerunt.

Sicque prodeunt, ad praesens, tomuli duo sub auspiciis illustrissimi viri baronis Iosephi Rudicsii de Almás, cui pro liberaliter suggestis sumptibus gratias maximas publice etiam reddiderim.

Agendum mihi nunc de singulis, quae tomulo hoc primo eruditionis patriae amicis offerre mihi licuit...



I.

LEONARDI ARETINI

ATTILA.

---

M A C A D E M I A  
KÖNYVTÁRA

R  
1977

# LEONARDVS ARETINVS

M. ACADEMI  
KÖNYVTÁR

IN VITAM ET MORTEM ATTILAE REGIS VNGARIAE.

---

I. Hunni, qui et Avares, nunc vero Ungari, in ultima Meothida, quae palus est Scytharum inter glacialem Thanaym et Masagotharum inmanes populos, ut perhibent plerique Cronographorum, habitaverunt. Hi enim, mortuo Alexandro Philippi (Regis) Macedoniae (filio), qui eos intra montes artissimos cohibuerat, equis insidentes velocissimis, et a Caucaso monte erumpentes, Aethiopes et Arabes, totumque orientem, depopulati sunt. Post haec ingressi loca, quae hodie inhabitant, primo Hunni, dein Avares a quodam eorum rege dicti, postremo ex utraque denominatione sumpto vocabulo Ungari nuncupati sunt: quod et sic inditum eis nomen usque hodie perseverat. Hi ex horribili Scytharum genere creti, Gothos armis et virtute bellica de sedibus depulere propriis; et quandoque, ut fit casus, variante fortuna, a Gothis et ipsi superati et victi sunt.

Horum reges plures fuisse traduntur, e quibus praeclentes fuisse memorantur Subtharus et Mandluchus, (Attila) et Bleda, Mandluchi filii, qui propriis non contenti, effera-  
ta rabie Romanum nitentes delere imperium, Gallias, Pannonias, Illyri-  
cam et Liburnorum regiones, Germaniam et Italiam miris con-  
gressibus depopulati sunt. Subthar igitur et Mandluchus, cum harum gentium reges essent, multa adversus Scythes ingentia bella  
gessere, et multis clarus persaepe adversus eos victoriis habi-

tis Mandluchus, ut alii ferunt, morbo, et, ut plurimi<sup>1)</sup>, lassitudine praeliorum, rebus humanis est exemptus, duos relinques filios: Bledam natu majorem, et Attilam minorem, quos fratri suo Subthar regni cum portione studiosius commendavit.

II. Subthar ergo Rex fratre defuneto solus regnum obtinuit. Sed cum filios non haberet, et Bledam et Attilam, ex fratre nepotes, sibi adoptionis iure filios, principum quandoque Romanorum more, constituit, regni sui adscivit sibi consortes. Postea<sup>2)</sup> Subthar Rex cum innumerabili Hunnorum exercitu Germaniam invadens, quoconque iter arripuit, omnia ferro flammisque subiecit. Deinde Burgundiam procedens, eamque praeliis, rapinis et caedibus exponens depopulatus est; Burgundiones autem sic oppressi, viam salutis quaerentes, cum nullam invenirent: tandem divinitus inspirati, paganos ritus funditus abnuentes, christiani facti sunt; putantes, sicut et subsequenter factum est, quod ex hoc omnipotens Deus eos in suam tutelam  $\parallel^2$  susceptos, ab omni impetu gentis Hunnorum et ab imminentibus exitiorum<sup>3)</sup> periculis liberaret. Quorum votis Deus omnipotens annuit. Nam dum Rex Subthar post annum cum ingentibus Hunnorum copiis ad loca Burgundiae remeasset, ut reliquias Burgundionum effrenata rabie ductus absumeret; spe salutis imbuti Burgundiones audacter contra Hunnos, eorumque Regem Subthar, eductis militum peditumque copiis, praelium instruxere, pugnatumque est utrumque tanta Hunnorum strage, ut decem milia Hunnorum et eo amplius gladius Deo adiutore absumpsit. Capti circiter tria milia fuerunt, reliqui salutem fuga quaesivere; inter caesos et ipse Subthar, tribus confossus vulneribus, reperitus est.

III. Mortuo igitur ea clade Subthar Rege, Bleda et Athila fratres Hunnorum regno pari omnium consensu praeficiuntur. Hi Bleda et Athila fratres, vivente Theodosio juniore Augusto, collecto grandi exercitu, pacatis Burgundionibus, in dies

<sup>1)</sup> Codex habet: *plurimum*.

<sup>2)</sup> Codex: *postquam*.

<sup>3)</sup> Codex: *exciorum* habet.

ceteras finittimas regiones , nunc unam , nunc alteram , variis et innumeris praeliis lassere. Et exinde per Germaniam trausentes , Gallias invaserunt , omnia ferro et igni subicere , et hostili <sup>4)</sup> more universa quaeque <sup>5)</sup> diripiunt , plerisque tamen civitatibus et oppidis captis , multis etiam et in deditio- nem <sup>6)</sup> receptis , secus Aurelianum castra metati sunt ; sed meritis beati Aniani , eiusdem urbis episcopi , Deus omnipo- tens civitatem ab incursu hostium protexit , quamvis multa gravia sit perpessa. Hoc audiens Valentinianus Publius , huius nominis tertius , (qui) Thcodosio iuniore romanum tenebat im- perium , Aetium<sup>7)</sup> patricium , virum utique rebus bellicis adpri- meve cruditum , cum magno sui exercitus apparatu direxit in Gallias , ut Bledae Attilaque , et gentium , quas secum duxerint , tumultibus et anfractibus contrairet . Et quum sermo incidit de Valentiniano tertio , inscrendun est memorie notitiaeque po- sterorum , qui et quis Valentinianus hic fuerit . Valentinianus hic fuit filius Constantii Imperatoris , hujus nominis tertii , et Gallae Placidiae filiae maioris Theodosii , sororis Honorii et Ar- chadii , patris minoris Theodosii . Hic Valentinianus ex uxore Li- cinia Eudosia genuit duas filias , quarum maior natu Honoria nomine , Transsemundi regis <sup>8)</sup> Wandalorum <sup>9)</sup> fuit sortita connubium ; minoris vero natu , Placidiae nomine , virginis cla- rissimae Veronae corpus in ecclesia Sancti Stephani conditum requiescit . Aetius igitur patricius vir , ut antea diximus , strenuus , ter consul , et qui , quidquid bellorum erat , solus praeci- pue noverat , collecto romanorum exercitu , Theodericum Re- gem Gotorum , qui Hunnis , habitis ex praecedentibus dissidiis et innumeris conflictibus offensi , adversus eos ulturi suas suorumque graves iniurias , Actio de facilis consensere , sibi as- sumpsit certaminis aut profecto ingentis futuri belli collegam . Cuius belli consortio et Wallamer et Theodomir , quondam <sup>9)</sup>

<sup>1)</sup> Codex : *hastili* habet.

<sup>2)</sup> Cod. *quoque*.

<sup>3)</sup> Codex : *dedicacionem*.

<sup>7)</sup> Cod. semper *Eciūm* scribit.

<sup>8)</sup> Codex : *Nandalerum*.

<sup>9)</sup> Codex : *quodam* habet.

Triarii Regis filios et Theoderici fratres, tunc etiam in Gotto-  
rum regionibus <sup>10)</sup> imperantes, foederatos, romanis principibus,  
modicis, et ut res postulabat extempore, alloquiis adjunxere.  
Consortio <sup>11)</sup> igitur inter tot et tantos, et tantorum virorum exer-  
citus, ingentibus et de variis praeliis nunc victor romanus exer-  
citus, nunc <sup>12)</sup> etiam saepe victus est repertus. Demum, cum ne-  
que victrix aut victa pars quorumvis iudicio cognosceretur : col-  
latis signis dimicatum est in campis Cathalanicis, in qua pu-  
gna, vel quod verius est, in quo bello centum sexaginta millia  
pugnatorum, seu bellantium utrinque caesa sunt gladiis. Ubi  
etiam Theodericus Rex inter caesos occubuit. Nec abs re est  
inserere : cum utrinque auruspices de belli exitu consulti di-  
xissent : finem belli huins futurum, exercitus ducē <sup>13)</sup> gladiis  
interempto ; uterque exercitus de suo timuit principe ; Roman-  
orum autem exercitus Actium suspicabatur, Gotti autem  
Theodericum, Hunni vero Attilam autumabant. Denique cum  
dies bello praefixus esset, Hunni per duces pugnare decrever-  
runt. Attila (in) castro manente, ne quid sibi fatale ex auruspicum  
sententia contingeret, qui licet in castris, tamen suorum pa-  
rens sententiis atque consiliis, mansit; Aetius vero Romanorum  
sortitus morem, quidquid auspicii futurum esset, per se  
pugnare, non per duces, decrevit. Hoc idem Theoderico et  
Gothis est suasum. Commisso itaque bello, dum hinc inde pu-  
gnaretur, Hunnorum gens quasi duobus exercitibus <sup>14)</sup> impar,  
et Romanorum et Gotthorum, <sup>14)</sup> cum ducem sui Attilam <sup>15)</sup> non  
haberent, quasi victa, longo cum esset fessa certamine, terga  
dabat. Quod ubi Attilae nunciatum est, continuo ex castris se  
prorupuit, nunc sudibus, nunc cassulis, nunc equorum sellis  
omnique materia aggerem seu piram construi e vestigio ius-  
sit, et fecit, propriis manibus opus iuvans. Tunc aurea

---

<sup>10)</sup> Codex : *regibus.*

<sup>11)</sup> Codex habet : *2 Fortis.*

<sup>12)</sup> Codex : *tunc.*

<sup>13)</sup> Codex hic loci habet : *exitu vero.*

<sup>14)</sup> Codex : *duabus exercitus.*

<sup>15)</sup> Codex : *Attile.*

veste amictus, structum aggerem conscendit, conspectusque a suis terga cedentibus, educto e vagina gladio, voce magna clamans ait: „Quid de vobis video, commilitones mei, quibus hic vincentibus Romanorum urbeim polliceor. Pugnare mecum voluistis, sed vobis ducibus ecce adsum: me duos pugnate: nichil est quod me dace pugnantes vos terreat. Dii vos et me pavent: victores estis, solum velitis, imo et si non vultis, victores estis. Retrovertete<sup>16)</sup> vultus hostibus, mihi vero terga vestra ostendite. Quisquis vultus hostibus visendos præchere scit, is hostium victor profecto est.“ Tunc Hunni verecundia ducti, animatique ducis sui visu, ad bella reversi sunt. Tantum autem res bellica processit, ut victi victorum partibus fungi nulloque casu viderentur, quamquam Hunni remeantes satis reintegrare bellum potuisse, quidam non leves historici attestantur. Fuerat autem animus Attilae, quum<sup>17)</sup> aggerem conscendit, hic: quod suis districtum iusserat, ut scilicet, (si) quid adversi et inclemensabile suis contigisset, (ignem in) aggerem immitterent, quo ille, omni cum apparatu regio, quem secum detulerat, cremaretur, ne unquam tantus vir in potestatem hostium perveniret. Aetius ergo patricius, cum auxilio Gottis venisset, Attilam in summo aggeris conspiciens, Hunnorumque gentem pene victam esse compriens, (in) annulum eiusdem Attilae, ut reor iratus, ruit, ne male reipublicae fieret, si Attila sic victus occumberet. Signum itaque recessus dedit, atque inde a bello cessatum est. Tunc compertum est primum apud Gottorum exercitum Theodericum in bello extinetum; cumque de regno esset inter Wallamer et Theodomir, Theoderici fratres, Theodericique et filios haud minima contentio: suadente patricio a bello discessum est, et in dies cum Attila pacificationem ratus est. Timuit enim Aetius<sup>18)</sup>, ne victo Attila [5] Gotti, qui et ibi superiores erant, insaecvirent, et solito more romanis ducibus rebelles existerent. Huiusmodi ergo in dies pace de foedere

<sup>16)</sup> Codex habet: *Retroverte.*

<sup>17)</sup> Codex: *quam.*

<sup>18)</sup> Codex: *eum.*

habita inter Aetium <sup>19)</sup> patricium, Gottos, Bledum et Attilam, in Pannonias Attila cum Bleda revertitur.

IV. Modico vero post spatio temporis interiecto, Attila solus cupiens imperare, Bledum fratrem dolo interemit, ut quidam tradidere, veneno, alii percussoribus immissis, qui eum continuo interimerent: eo, quod quaedam recusaverat, quae Attila fieri absolute mandaverat. Sed licet de specie mortis inter historiographos dissensio sit, de nece de insidiis facta nulla est discrepantia. Regnum igitur Hunnorum, interempto fratre, Attila solus obtinuit. Potitus igitur solus Hunnorum regno, reliquarumque finitimarum gentium, quas antea cum fratre domuerat Daciarum, Panniarum <sup>20)</sup>, Iugiorum, Turulorum, Arorum, Turcilingorum, Germanorumque, ac pene totius orientis fultus auxilio potentissimus, Italiam intravit, et, ut narrat Priscus historicus, ut eam sibi cum romano imperio subiugaret. Erat autem Attila Rex, ut narrant Jordanus et praefatus Priscus historicus, superbus incessu, huc et illuc circumferens oculos ita, et in omnibus suis arrogans negotiis, ut eius iactantiae superbia ex corporis gestibus quibusque etiam incognitis <sup>21)</sup> facillime noscetur. Bellorum siquidem amator erat, sed consilio et temperantia circumspectus, ingenio sagacissimus, propicius et exorabilis his, quos semel in fidem receperisset: sin autem fidem irritam aliquis ei fecisset, nunquam ei parcere volens. Detestabatur enim ut inmanes belugas, qui vel patriam, vel se soporantem lusione quadam decipere satagebant. Corpore fuit brevis, lato pectore, capite grandi, oculis minutis, longis, acutisque; barba rara, sed more suo demissa; canis quidem aspersus, simus naso, colore subruffus, moribus ferus, audacia pronus et verae  $\parallel^6$  originis suae barbarae signa vel liniamenta demonstrans; ore parvo, latis tamen labiis, uno dentium, qui foris eminebat, plus iusto faciem dehonestante quantillum. Hic, ut idem Priscus historicus refert,

---

<sup>19)</sup> Cod. habet: *eius*.

<sup>20)</sup> Cod. habet: *daciarum panniorum*.

<sup>21)</sup> Cod. habet: *incognitor*.

Bleda fratre interfecto , Dacos, Sormatas et Pannonias multis praeliis superavit, collectaque suarum et earum , quas vicerat, gentium , grandi et in numero apparatu , processit in Scythiam, Regem Scytharum sibi tributarium reddidit. Apud quem invenit gladium Martis , qui fingitur deus fuisse bellorum, coque truculentus bellator Scythes perdomuit , et apud eos regnasse prohibetur. Cuius gladii munere gratulatus , ut erat magnanimus , quasi sibi totius orbis offerretur imperium, Martis gladium pro se , quocumque iter arripuisse , ferens.

V. Aquilone iam magna parte domito , ut Romanos opprimeret, ad partes Italiae festinus conseeddit. Cumque Thracias a Pannoniis veniens et omne Illyricum depopulatus esset, Aquileiam, quae Venetiarum metropolis est , sibi rebellem neque obsequentem inventit. Ubi et , ut eam in deditioinem acciperet, castra metatus est. Erat autem et ibi , et in finitimis civitatibus Romanorum praesidium ab Valentianio Theodosio que transmissum , quo ab ingressu Italiae , quantum fieri <sup>22)</sup> poterat, Attila viribus arceretur. Attila tamen saepe et saepius Aquileienses et civitates finitimas per suos legatos alloquitur , ne sibi Romam aggredi intendentem molesti essent. Nichil profecit, cum eis immunitatem et fidem polliceretur. Et si prospera, si Deo propitio gradienti contingenterat, eas civitates facturas , quae ipsa Roma fecisset. Teruisium, cum auctore Helmando antistite, item Verona Diaderico tradente Attilae partibus se dederat. Cum Altinum civitas Opitergiumque et Cenetense pulcherrimum oppidum quoque Tervisiensibus quandoque infesta fuerant, dirutae sunt, Vicencia , itemque Patavium inmanentibus adhuc apud Aquileiam castris , ubi et Utinum oppidum, mira quadam im*agin*atione construxit. Cumque diu civitatem Aquileiam obsedisset, et eam capere non posset, his, qui intra erant, fortissime resistantibus, sui et milites et exercitus omnisque gens in murmurare ceperant, ut tandem fatigatus ab obsidione recederet. Attila autem , cum murmur militum vulgique sensisset, et anxius deliberare cepisset, firmaretne in dies castra an tolleret? cum paucis ex militibus electis

---

<sup>21)</sup> Cod. habet: *fieret.*

adequitans una dierum muros civitatis Aquilegiae circumiret, conspexit ciconias aves, quae in altis turribus urbis nidificaverant ex more naturae, exportantes pullos suos de nidis eorum foris civitatem ad loca campestria, et in arboribus nidos contra morem extruere. Quod videns Attila, cum esset sagacissimus et auguriandi peritissimus, diu substituit, rem quae gerebatur, solerti perquisitione considerans; deinde ad suos coequitantes sermonem direxit: „Eece signum ruiturae urbis: aves siquidem, quarum natura est summis in urbium moenibus nidificare, vi quadam nempe futurarum praescias respicite casuras arces periculo imminente deserere. Confestim invadenda urbs est, instat enim ejus exitium. Nec expugnatio differenda est, ne fatalis hora pertranseat.“ Quo dicto reversus ad castra, recitatisque his quae viderat, cunctos omne<sup>23)</sup> incitavit ad praelium. Tunc igitur omni telorum genere ad expugnationem urbis concursum est, nec diu protracta pugna est. Urbs enim continuo capta est, quam Hunni invadentes, omnia, quae repererunt, diripuere, ferro, flammisque cuncta subicere, non aetati, non sexui parcentes, eamque ita deleverunt, ut vix hic insignia vel urbis vestigia videantur. Caesa eo conflictu traduntur utriusque sexus, eujuscunque etiam aetatis circiter triginta septem milia captivi, iuxta traditionem Prisci historici, qui ea in litteris retulit. Inde digressus Attila, Veronam iter arripuit, ubi et aliquibus diebus perstitit, a Dyotherico, qui eam urbem sibi tradiderat, honorifice susceptus, cui et Mantana confestim pa<sup>24)</sup>ruit. Exinde autem progrediens, Cremonam, Placentiam, Pergamum, Mediolanum, quae et Liguria metropolis est, pari sorte protrivit atque diripuit; Ticinum quoque ac ceteras Italiae urbes, quae sui deditio[n]em non fecerant<sup>24)</sup>, funditus diruit. Deinde Tusciā ingressus, quacunque iter fecerat, castra et urbes pari sorte delevit. Cum vero Romam festinus accederet ut eam caperet, sui milites, quibus rerum cura praecipua fuerat, a proposito revocaverunt: non Romanae urbis intuitu, quam odera(n)t, eius potentia stomachati,

---

<sup>23)</sup> Cod. *omniue* habet.

<sup>24)</sup> Codex: que sui *dedicacionis* non fuerant.

sed Alarici<sup>25)</sup> quondam Gottorum Regis proponentes exemplum, qui capta et spoliata urbe ipsam paucō tempore supervixit. Cuius exemplo auditō perterritus Attila, quasi sibi Romam ingredienti diripientique fatale quoddam esset exitium, spoliata et vastata omni Tuscia et Marchia, ac flammis tradita, retrocessit. Cum autem adhuc arderet urbem Romanam sibi subicere, eamque finali exitio tradere hescitaret, cum tunc rediret ne iam ab incepto desisteret : Ecce Leo Romanus Papa, impe- rante tunc principe Marciano, cum nobili senatorum urbis comitatu ad Attilam venit in agro Mantuano, ubi Mincius fluvius, qui de Bennaco lacu egreditur, intrat Padum, quo in loco Attila castra metatus erat. Cuius adventu audito, Attila paucis sociatus paululum processit, Leo autem Papa viso Attila de equo descendit. Cui occurrit Attila, et eum gratanter exceptit. Cum allocutus esset eum Papa Leo, post multos sermones habitos, quidquid voluit, impetravit. Refertur autem inter alia Leonem papam dixisse : Rogo Attila, ut facta nobiscum pace Italia excas, in ipsam decctero nullatenus reversurus. Quod se facturum Rex proprio ore spopondit. Soluto colloquio Leo Papa cum suis Romam reversus est; et Attila juxta sponsio nem, quam fecerat, omni furore deposito retrocedens cum suis, Danubium pertransivit. In litteras autem a plerisque historicis traditum est: cum Attila a suis argueretur quod uni sacerdoti inermi tam potentissimus obedisset, cuncta quoque quae petiverat indulsisset, Attilam hunc sermonem dixisse ferunt: Vidi ||<sup>9</sup> ad latus sacerdotis illius stantem virum magnitudinis mirae, in veste candida, evaginato gladio mihi mortem minantem, nisi continuo, quod peteret, ipse fecisset: unde territus feci. Igitur Attilam admirati milites sese virum vidisse, qui cum iam praesto essent, ipsi non viderant, Numen recte arbitrati sunt et fuisse, quo territus Attila, qui nunquam terrori antea potuerat, obsequens pontifici fuerat: factum ejus laudare, quasi coelesti infusione provisum.

VI. Reversus iam ergo de Italiae iam fusae, iam lacratae, iam ad ultimum deductae, partibus, Attila in Pan-

---

<sup>25)</sup> Codex : alacri.

nonias venit, et ingenti coacto exercitu Alanes bello agreditur. Alani autem erant sub dominio Theodomir Ostrogotorum Regis, filii Triarii Regis, fratris autem Walamir, qui cum Theodorico eorum fratre, qui in bello de quo supra mentio est habita, pugnante Aetio patricio cum Gotthis, quorum auxilio ab Romanis principibus missus fuerat contra Attilam, pugnans interemptus fuerat, pace in dies ut Aetius auctor fuerat, Gotthorum regnum post multas varietates obtinuerat. (Attila igitur) ab interiori Seythia egressus, (in) Allanorum provinciam (movit). Hic Theodomir genuit Theodericum Magnum cognomine Walamer, qui postpostmodum Ravennae sedens totam usurpans possedit Italianam. Rex igitur Theodomir collecto undique exercitu Gotthorum adversus Attilam perexit im proelium, inter quos varia fuere certamina et bella gravissima, in quibus nunc inferior nunc (superior) Theodomir, ut se ostentant bellorum eventus, fuisse dicitur, ut scribit *horum* Jordanus historicus. Demum, ut idem refert, in campis Cathalaunicis ultimum factum est bellum, ubi paulo ante prius Aetius patricius Attilam et fratrem ejus Bledam superaverat. In quo proelio tanta multitudo exercitus Hunnorum occubuit, ut vix pauci cum Attila evadere potuissent; Theodomir vero Gotthorum Rex victoriam assecutus, Hunnos <sup>26)</sup>, gravi persecutione depopulans, de finibus Allanorum ejecit. Sic ergo, ut dicit Jordanus, Attila Rex mul<sup>10</sup>tarum gentium Dominus et antea orbi terrarum terror immensus, dum perditoris famam, qua aspersus fuerat, quaerit abicere, ut prius in dictis campis, ubi quondam ab Aetio <sup>27)</sup> patricio et exercitu Romanorum et Gotthorum fuerat superatus, geminata est passus confusionem et obprobrium. Nam recessit in gloriis in Pannonias.

VIII. Itaque reversus Attila Rex, modico postea tempore vivens tali morte defecit, ut apud Priscum, Eutropiumque et plures historicos in literas relatum esse invenio. Post inume-

---

<sup>26)</sup> Codex : hunnorum.

<sup>27)</sup> Codex : dudum preditoris . . . abicere, nam predictis campis ob quandum Ecio.

ras siquidem uxores, quas ex more habere licuerat, formosissimam nobilem, admodum iuvenem, Hyldico nomine uxorem superinduxerat, in cuius nuptiis, cum in ipsius amorem exardesceret, maxima gentium aulicarum ceterarumque laetitia fuit. Ipse ergo convivio dissolutus cum et interdiu...<sup>28)</sup> plurimum intendisset, aliisque variis luxuriarum generibus, quae humanam mentem oblectant: dum nocte adveniente cubiculum, in quo puella virgo nobilis Hildico se posuerat, solus intravisset, vino repletus et eibis, lassitudine et ebrietate, quantam antea nunquam contraxerat, dissolutus, sompno, ut et sic pressis naturaliter evenit, ingravatus, se super cubiculum supinus ut erat injectit, et ore aperto gravi sonno<sup>29)</sup> depresso occubuit. Repente igitur, laborante onerositate nempe, exundans ejus sanguis de naribus, qui saepe solitus erat effluere, in os iacentis desfluens copiosus, non sui jam compotis corporis obstruso vitali spiritu iacentem Regem supinum, e vestigio praefocavit<sup>30)</sup>. Igitur taliter suffocatus in bellis gloriosissimus et potentissimus Hunnorum Rex Attila, diversarum gentium vstor, occubuit, cui ebria impudenter pudendum finem dedit. Puella autem, quae timens valde ab una parte cubiculi latebat, exspectat Regis imperium. Dum diu sustinuisse, neque a Rege sensim ad oblectamentum aliquod vocaretur, verecunda tamen, ad cubilis partem, (in) quam se Rex injecterat, pedetentim accessit. Et ut vidi mortuum iacere, ore aperto, et a decurso e naribus sanguine...ingemuit, movens tamen et quatiens persaepe eum, si vel gravius obdor<sup>31)</sup> insecens excitari potuisset. Scilicet quum fustra temptabat, immobile tamen et examinatum corpus, perpetuoque sonno traditum, excitari non poterat: sequenti sane die, elapsa tum magna diei parte, ministri Regis admirati, quod non aperiretur cubiculum, validis ad ultimum clamoribus vociferari coperunt. Et cum neque ulla vox aut sonus redderetur, vehementius admirati hostiis effractis intravere cubiculum. Et elevata cortina viderunt Re-

<sup>28)</sup> Hic librarius voculas aliquot exmisisse videtur.

<sup>29)</sup> Modo italorum, loco: somno.

<sup>30)</sup> Codex: provocavit.

gem Attilam supinum, ore aperto iacentem, inundatione sanguinis, qui de naribus effluens os intraverat, interemptum; puellam quoque cubiculum iuxta sedentem, demisso vultu sub velamine lacrymantem. Tunc ministri, vocatis omnibus proceribus et exercitus principibus, ostendunt eis Attilae, sine vulnere, decursu sanguinis corpus praefocati. Illi ergo, ut est mos Hunnorum, crinium parte truncata, faciem Regis profundis replevere vulneribus, et se lanceolis et phlebotomis concidentes, vulnera quae cadaveri regio intulerunt, repleverunt, ut praeliator et tantus Rex non femineis lacrimis sed virili sanguine lugetur. Statim ergo in mediis campis preciosa tetendere tentoria, et pallia auro texta geminataque in medio campo straverunt, in quibus cadaver Regis more regio indutum in aurato feretro positum extulerunt. Mox igitur nobilissimi milites eorum in modum circensium feretrum ambientes, hos funerarios versus decantabant: „Praecipuus Hunnorum Rex Attila, patre genitus Mandlacho, fortissimarum gentium Dominus, qui inaudita ante se potentia solus Scythica et Germanica regna possedit; nec non utraque Romanae urbis imperia, calcatis civitatibus, terruit, et post, ne reliqua subderentur, placatus, summi Romanorum antistitum annum vectigal accepit; dum haec omnia proventu felicitatis gerit, non vulnere hostium, non fraude suorum, sed gente incolumi, inter grandia laetus, sine sensu doloris occubuit. Quis ergo dicat hunc exitum, quem nullus aestimat vindicandum?“ Unde confestim, ergo in noctis ipso crepusculo, corpus honore, quo decuit, sepelierunt. Deinde mensis appositis, mixtum dolori gaudium faciunt, nam epulas diversi apparatus et generis affluentissimas paraverunt. Cujus(modi) fereula primo in vasis aureis, secundo in argenteis, tertio in aereis, quarto in ferreis delata sunt: significari autem ex hoc Hunnorum principes voluerunt, haec omnia Regi potentissimo convenire. Deinde armillas, et armorum diversa genera, equos, phaleras, diversosque ornatus in medium producentes, noctem totam erupulis, ebrietatibus ac dissolutionibus expenderunt. Ea nocte, qua Attila mortuus est, ut dicunt Jordanus et Priscus historici, Marcianus Imperator, dum Constantinopolitana degens civitate Romanum gu-

bernaret imperium, in somno vidit arcum Attilae fractum. Unde, quod mirum dictu est, mane dum surrexisset, ab ancillis incerto auctore cognovit Attilam rebus humanis esse exceptum, quo post multos dies clarius probato, vota, omnium consensu, Deo redditia sunt. Vixit autem annis quinquaginta sex natus, ut plerique historicorum in literas retulere, ea die, qua Julius, qui primus Romanorum singulare arripuit imperium, natus est. Et ea die nocte fluxu sanguinis interemptus, qua mensis die idem Caesar in senatu acceptis vulneribus confossus interiit Amen.

Et sic est finis Historiae Attilae.

---

(VACATION)  
KÖRNER LIBRARY


II.

CHRONICON HVNGARORVM

POSONIENSE MAIVS.

---





## CHRONICA REGNI HUNGARIAE.

Multifarie multisque modis olim in veteri testamento, et nunc in actate sexta seculi, diversas diversi historias descripsérunt, prout Iosephus, Isidorus, et Orosius <sup>1)</sup>, aliique quainplures, quorum nomina exprimere non est opus. Ego autem in illo tempore illius mundi illud opus inchoavi, quando caritas refrigeruerat, iniquitas habundaverat, et omnis caro ad malum quam ad bonum promptior erat.

Porro cum per cladem diluvii praeter Noe, et tres, qui erant, filios eius, ac uxores eorum, delecta esset omnis caro, tandem ex Sem, Cham, et Japhat, septuaginta duo tribus post diluvium sunt progressae : ex Sem XX, et ex Cam XXXIII, ex Iaphat XXII <sup>2)</sup>). Dum autem tribus istae, sicut refert Iosephus, lingua Hebraeica uterentur, *CCII anno post diluvium*, Nembroth gigas filius Tana, ex semine Iaphat oriundus, cepit turrim construere cum omni cognatione sua, periculum praeteritum attendendo, ut si contingaret diluvium iterari, possent effugere iudicium ultiōis turris interfugio. Verum <sup>3)</sup> divini

<sup>1)</sup> Codex : corrupte prorsus habet Isidorum et Erosium.

<sup>2)</sup> Kézai apud Horányium iuxta cod. Kósaiānum et *Chron. Bud.* habent : XXII, XXXIII, XVII. Iterum Kézai apud Podhradezkyum iuxta exemplar Eszterházyanum, et apud Endlicherum iuxta Zsámboianum bibliothecae augustae Viennensis : XXV, XXXVII, XVII. *Chron. Vienn.*, item Illésházyanum Dubnicense habent : De Japheth XV, de Cam XXX, de Sem vero XXVII. *Turócius* demum : de Sem XXVII, de Cham XXX, et de Japhet XV.

<sup>3)</sup> Codex : Vero.

mysterii arbitrata sententia , cui non potest resistere humanus intellectus, sic illorum mutavit loquelam, ac confudit, ut dum proximus a proximo non posset intelligi, tandem in diversas regiones sunt dispersi. Confecerant enim in ipsa turri, sicut refert Iosephus, Deorum templa ex auro purissimo, palatia ex lapidibus preciosis, columpas aureas, et plateas diversimode petris coloratis et diversis abstractis<sup>4)</sup>, et turris ipsa in quadrum est, ab uno angulo ad alium habens passuum longitudinis mille quindecim, latitudinis totidem, quantitas vero altitudinis finita nondum erat, sed usque lunarem circulum secundum cogitationem illorum debebat sublevari. Grossitudo autem fundamenti trecentorum passuum erat, paulatim quidem sublevata artabatur, ut prominens pondus posset levius sustentare grossitudo fundamenti. Sita enim erat inter Nubiam et Aegyptum, cuius antiqualia cernuntur usque hodie euntibus de yni-himbis<sup>5)</sup> Alexandriam.

Dinnisis ergo incidentiis , quae ceptae materiac (dant) colorem, redeundum est ad inceptum. Nembroth igitur gigas post linguarum confusionem terram Eulat<sup>6)</sup> dicitur introisse, quae regio Persiden isto tempore nominabatur, ibique duos filios Hunor et Mogor de Enach<sup>7)</sup> sua coniuge generavit, ex quibus Huni seu Hungari sunt egressi. Sed gigas Nembroth uxores alias praeter Enach habuisse perhibetur, ex quibus, absque Hunor et Mogor, plures filios et filias generavit. Hii sui<sup>8)</sup> filii et eorum posteritas Persiden inhabitabat regionem, statura et colore similes Hunis, tantummodo diffe-

<sup>4)</sup> Kézai apud Podhradezkyum habet : diversiusque astracatas, Chron. Bud. : et diversis abstractis, quam vocem Podhradezkyus sic correctam vult : *astragatis*, quae illi columnarum celaturas denotat, vocabulo, quod ei ex substantivo *Astragalus* (Vitruv. L. III. et IV.) determinum esse videtur.

<sup>5)</sup> Kézai : de Memphis ; Chron. Bud. : de ymphis.

<sup>6)</sup> Kézai : Euilath, Chron. Vienn. et Dubn. Euilat ; Bud. ciulath ; Turócius : Euilath.

<sup>7)</sup> Kézai : Eneth. Chron. Vienn. Enek, Bud., Dubn. et Tur. Enech.

<sup>8)</sup> Sic habent Kézai et Chron. Bud. ; noster, erronee : sunt.

runt paulum in loquela, sicut Saxones et Turungii. Dum autem Hunor et Mogor filii Nembroth essent primogeniti, et a patre ipsorum in tabernaculis separatim inhabitabant<sup>9)</sup>: Accidit autem dierum una venandi <sup>10)</sup> causa ipsos perexisse, quibus in deserto cum cerva occurisset, in paludes Maeotidas illam insequentes, fugit ante eos, cumque ante eos prorsus evanisset, diutius requisitam nullo modo potuerunt invenire: peragratis tandem paludibus memoratis, pro armentis nutriendis ipsam inspexerunt opportunam.

Deinde ead patrem redeuntes, ab ipso licentia impetrata, cum rebus omnibus paludes Maeotidas intraverunt moraturi. Regio quidem Maeotida Perside patria est vicina, quam undique, praeter vadum unum, Pontus gyroallat, fluviiis carens, herbis, silvis, piscibus, volueribus et bestiis copiatur. Aditus illie est difficilis, et exitus. Paludes ergo Maeotidas adeuntes, quinque annis ibidem immobiliter permanserunt; anno vero VI. exeuntes in deserta loca, sine maribus in tabernaculis permanentes uxores ac pueros filiorum Wereta<sup>10)</sup>, cum festum tubae colerent et coreas ducerent, ad sonitum symphoniae casu repererunt, quas cum earum rebus in paludes Maeotidas rapinis celeribus deduxerunt. Haec fuit prima præda. Accidit autem principis Dua<sup>11)</sup> Alenorum in illo prælio inter illos pueros duas filias comprehendendi, quarum unam Hunor, aliam vero Mogor sibi in uxorem sumpserunt, ex quibus mulieribus omnes Iluni sive Hungari originem sumpserunt. Factum est autem cum diutius in paludibus Maeotidis habitabant, in gentem validissimam crescere ceperunt, nec eos capere ipsa regio poterat, aut nutrire.

Exploratoribus abinde in Scythiam<sup>12)</sup> dimisis et destinatis, scrutinii astutia sublimissima Scythiae<sup>12)</sup> regione expolata, cum pueris et armentis ipsam patriam intraverunt per-

<sup>9)</sup> Sic, licet erronee, habet etiam *Chron. Bud.*; rectius *Késai*: incedebant.

<sup>10)</sup> *Késai*: Belar; *Chron. Vienn., Bud.* et *Turócius*: Bereka; *Dubn.*: Bercla.

<sup>11)</sup> Omnes alii: Dule habent.

<sup>12)</sup> <sup>13)</sup> Cod. *Siriæm, Sirie* habet, mendose utique.

mansuri. Regnum igitur ipsum dum adissent, Alprozuros<sup>13)</sup>, qui nunc Pruteni nuncupantur<sup>14)</sup>, in eo habitantes invenerunt, quibus deletis, et expulsis, aut occisis, usque hodie ipsum regnum vi victis<sup>15)</sup> vicinis (possidere) dignoscuntur. Scythia enim regio in Europa situm habet, et extenditur versus orientem, ab uno latere Ponto Aquilonari, ab alio vero niveis<sup>16)</sup> montibus includitur<sup>17)</sup>, cui de oriente Asia, et de occidente fluvius Etul, id est Don<sup>18)</sup>. Gentes siquidem in eadem procreatae otia amplectuntur, vanitatibus deditae, naturam designatores actibus venereis intendentes, rapinas amant, generaliter colore plus nigro quam albo. *Scythia enim comprehensione una cingitur, sed in tria regna dividitur, principiendo scilicet in Woscardium, Deniam, et Mogoriam; habet quoque provincias centum et octo, quae dudum per filios Hunor et Magor fuit ob centum<sup>19)</sup> et octo progenies, quae egressae fuerant ex femoribus eorundem, de paludibus Maeotidis intrantes Scythiam, sunt divisae<sup>20)</sup>.* Regno autem Scythico de oriente<sup>3</sup> iungitur Jurianorum<sup>21)</sup>, et post hos Tarsia, tandem vero Mancalia, ubi Europa terminatur. Ex plaga vero autem aestivali subsolari gentes, videlicet Corosmena, et Aethiopia, quae minor

<sup>13)</sup> Késai: Alpzuros; Chron. Vienn. et Dubn.: Alplozuros; Bud. et Turócius: alprosuros.

<sup>14)</sup> Késai: et Prutenos. Chron. Vienn., Bud. et Dubn. cum nostro Ponensi habent: qui nunc Pruteni nominantur. Turócius: quos in prioribus chronicis hungarorum nunc Ruthenos vocari scripserunt.

<sup>15)</sup> Késai, dein Chron. Vienn., Bud., Dubn.: inuitis vicinis.

<sup>16)</sup> Késai: Chron. Vicnn. et Bud. habent Rifeis; Dubn. cum nostro niveis.

<sup>17)</sup> Solus Késai addit: a zona torrida distans.

<sup>18)</sup> Sic, cum nostra compilatione, habent Chr. Vienn., Bud., Dubn., Turóciusque. Alter Késai, qui ita continuat: Oriuntur etiam in eodem duo magna flumina, uni nomen Etul, et alterius Togora.

<sup>19)</sup> Cod.: obtentum!

<sup>20)</sup> Késai locum hunc paulo serius inserit, ubi de grifonum nido locutus est. Chr. Vienn., Bud., Dubn. et Turócius eundem cum nost ordinem sequuntur.

<sup>21)</sup> Sic ceteri omnes. Késai tam en Jorianorum scribit.

India dicitur : et post hoc inter meridiem et cursum Don fluvii est desertum immeabile, ubi propter intemperiem aeris illius zonae sunt serpentes diversi generis, ranae ut porci, bari-liscus, et plura alia animalia toxicata, tigris et unicornus ibi generantur<sup>22)</sup>. Don grandis fluvius in Citia<sup>23)</sup> oritur, ab Hungaris Etull nuncupatur, et ibi montes niveos qui Scythiam cingunt, fluvius transcurrit, qui aniso nomine Don vocatur. Circa enim meridiem iuxta ipsum iucet gens Kytanorum et gens Alanorum, tandem in Mare Rotundum cadit tribus ramusculis. Alter quoque fluvius nomine Togata<sup>24)</sup> valde magnus nascitur in regno Scythicorum, qui per silvas vadit desertas, paludes et montes niveos, ubi sol nunquam lucet discursens, tamen tandem intrat in Hyrcaniam, et ibi vergit in Mare Aquilonis. Longitudo quidem Scythiae<sup>25)</sup> patere CCC. et sexaginta stadiis extendi perhibetur, latitudo centum nonaginta. Situm enim habet tam munitum, quod in solo loco uno parvissimo vadum ibi reperitur, propter quod ipsi Scytha nulli imperio nisi etiam Macedonico aliquo tempore subiecti sunt, et pro tanto vocamus eos demptos et exemptos ab omni potestate ; dicimus etiam Dentes, et Dentositates, quia sicut dentes omnia conrodunt et triturant, ita ipsi omnes alias nationes vexant. Unde Romani eos vocabant flagellum Dei<sup>26)</sup>. Solo tamen dicta Scythia in quibusdam locis satis lata<sup>27)</sup> esse dicitur, nemoribus, silvis, herbis venustata, diversique generis dives bestiis, et referta ; cui de oriente<sup>28)</sup> vicini sunt Bessi et Cumani albi.

<sup>22)</sup> Habent hunc locum cetera etiam chronica, excepto tamen Kézao.

<sup>23)</sup> Cod. : Cui Cicia.

<sup>24)</sup> Kézai, ut vidimus, Togora scribit. Ceteri cum nostro consentiunt. Dubn. tamen lapsu transcriptoris Tagatha habet.

<sup>25)</sup> Cod. : Sarithe.

<sup>26)</sup> Kézai locum hunc, ceteris chronicis a nobis citatis communem, sic contrahit : „propter quod nec romani Caesares, nec magnus Alexander, quamvis attentassent, potuerunt in eam introire.“

<sup>27)</sup> Chron. Vienn., Bud. et Dubn. cum nostro lata habent : Kézai, rectius sane leta (laeta).

<sup>28)</sup> Sic Chron. Vienn., Bud.; noster cum Kézai : occidente.

Circa etiam Mare Aquilonis de occidente, quod ei vicinatur, usque Susdalam est desertum silvestre humano generi immeabile, quod ad magnum perhibetur extendi spatium, ubi nubium densitas per novem menses *continue* iacet, ubi sol non cernitur per menses memoratos, nisi in mense Iunio, Iulio et Augusto, et id in tanta hora diei, quanta est a sexta usque nonam. In montibus etiam deserti memorati crystallus invenitur; grifones nidum parant, aves, quas Legisvalk<sup>29)</sup>, Hungarice kerechet *appellanus*<sup>30)</sup>, pullos procreare dignoscuntur<sup>31)</sup>.

In sexta igitur aetate mundi vel seculi multiplicati Huni in Scythia habitando ut arena<sup>32)</sup>), anno Domini CCCXXVIII<sup>33)</sup> congregati in unum, inter se capitaneis constitutis Wele, filio Chele, de genere Zemerin oriundo<sup>34)</sup>, Bur<sup>35)</sup> et Kadicha ejusdem fratribus, Chela, Kue, et Wida filiis Wendekuz, de genere Erd<sup>36)</sup>), occidentales regiones decreverunt invadere. *Centum ergo et octo tribubus decies centena milia*<sup>1)</sup> seu de uno

<sup>29)</sup> *Chr. Vienn., Bud. et Dubn.*: legisfalk; *Turóci*: legisfalck: *Kézai*: legerfalc: error, qui ignorantia librariorum hungaricorum, utpote germanicae linguae expertum, loco *Legerfalk* irreprimit.

<sup>30)</sup> Apud *Kézai* et ceteros: appellantur.

<sup>31)</sup> Hic inseruit *Kézai* locum, in hoc nostro Posoniense Chronico, sicut et in reliquis, pagina 21 ad notam<sup>1)</sup> contentum; iniicit una ex propriis celebrem CVIII generationum commemorationem, provocando simul ad appendicem suam *de nobilibus advenis*.

<sup>32)</sup> Cod. arwia.

<sup>33)</sup> *Chr. Vienn., Dubn. et Turócius* habent: CCCLXXIII., *Kézai* vocabulo exscribit: septingentesimo; *Bud.* cum nostro CCCXXVIII.

<sup>34)</sup> *Kézai*: Wela, Thele filius, ex genere Zemein; *Chron. Vienn.*: Wele, filio Chele, de genere Zemein; *Chr. Bud. et Dubn.*: Bele, filio Chele, de genere Zemeyn; *Turócius* demum: Bele, filio Chele, de genere Zemen.

<sup>35)</sup> Apud *Kézai* legitur: Cuwe; in *Chr. Vienn., Bud. et Dubn.*: keue et kadicha; apud *Tur.*: Keme, sine dubio pro Kewe.

<sup>36)</sup> *Kézai* habet: Ethela, Bendacuz filius, cuius fratres Reuwa et Buda... de genere Erd; et cum hoc fere *Chr. Bud.* Atile, Keue et Buda, filiis Bendekuz, de genere Erd. Ex alia parte *Chron. Vienn.* et *Dubn.* scribunt: Ethele, kewe et Buda, filios Bendekuz de genere kadar; et *Turócius* Atilam, Kewe et Budam, filios Bendeguck, de genere Kadar.

*quoque genere decem milia armatorum eligentes, derelictis Hunis in Scythia, qui ipsorum sedes regnumque ab hoste custodirent<sup>37)</sup>, constituentes nihilominus inter se rectorem unum nomine Kadar de genere Turda<sup>38)</sup>, qui lites sopiret dissidentium, fures ac latrones et malefactores castigaret, ita tamen ut si rector idem immoderatam sententiam diffiniret, in irritum posset communitas revocare errantem rectorem, et capitaneos deponere, quando vellet. Consuetudo itaque ista legitima inter Hunos sive Hungaros usque ad tempora dueis Geyse<sup>39)</sup> filii Thoxun extitit observata. Ante etenim baptismum Hungarorum in castris vox praeconia clamando taliter Hunos proclamabat ad exercitum : Vox Dei et communitatis universae, quod unusquisque in tali loco armatus, vel sicuti est, debeat praeccise comparere<sup>40)</sup>, communitatis praeceptum ac consilium auditurus. Quicunque ergo edictum contempsisset, non valens praetendere rationem, cultro dividi per medium lex Scythica sanciebat, aut ire in desperatas causas, aut in commune servitium immisericorditer trahebatur. Vitia itaque et hujusmodi excessus unum Hunum ab aliis fecerunt separari : alias cum unus pater et una mater omnes generans<sup>41)</sup> procreaverat, quomodo unus nobilis et alter ignobilis esse diceretur, nisi vicius per hos casus criminis haberetur?*

*42) Tunc omnes capitanei simul uno animo, uno quoque consilio egressi de Scythia, intrantes tandem Bessos et Cumanos albos, Susdalos, Ruthenos, terramque Cumanorum nigrorum intravere. Abinde egressi usque ad Thisiam pervenerunt : qua quidem regione circumspecta, concorditer omni*

<sup>37)</sup> *Chron. Vienn., Bud. et Turócius*, aequo ut noster, hic habent hunc locum, quem *Kérai* tardius inserit.

<sup>38)</sup> *Chr. Bud. et Dubn.* recentiori scribendi et pronunciandi modo: *Torda. Turócius* genus reticet.

<sup>39)</sup> *Késai, Chr. Vienn., Bud. et Dubn.*: *Geyche*; *Turócius*: *Geise*, valore utique literae *s* == moderno *cs*, ut id antiquis nostris mos erat.

<sup>40)</sup> Cod.: *hpe* cum signo compendii.

<sup>41)</sup> Cod.: *quas*.

<sup>42)</sup> Locum in annotatione 37-ma memoratum *Kérai* hic iniicit: ceteris chr. nostri Posoniensis ordinem sequentibus.

coetui placuit cum uxoribus et armentis, cum *uxoribus enim et* bigis et suis tabernaculis, de natali solo descenderent.

Cumque eo tempore Pannoniam, Pamphyliam, Phrygiam, Macedoniam et Dalmatiam tetrarcha Materna<sup>43)</sup>, natione Longobardus, de Sabaria oriundus, gubernaret, armis bellicis informatus, auditio, quod Huni super Thisciam resedissent, et de die in diem devastarent regnum eius, cum alumpnis sui regni ipsos aggredi formidans, ad Romanos suos mittens de Scythia *destinavit*<sup>44)</sup>, petens sibi auxilium commodari contra Hunos, ex gratia etenim Romanorum in patriis memoratis imperabat. Romani vero eo tempore Detricum de Verona, natione almanum, voluntarie super se regem praefecerant; quem petentes ut Materno<sup>45)</sup> subsidium importaret: illo autem *animo*<sup>46)</sup> gratanti annuente, est egressus cum exercitu Italico, Germanico ac alio mixto gentium, et gentibus partium occidentis. Pervenit tandem in Zazhalm, ubi ipsi Longobardi ad civitatem Potenciam<sup>47)</sup> convenerant, ut tractarent cum Materno consilium: utrum Hunos in eorum tabernaculis in suo descensu transeundo Donubium, vel in alio loco competenti invadere oporteret.

|<sup>5</sup> Initio ita consiliis et tractatibus Detrico Maternoque residentibus, Huni super utres noctis in silentio in Zizambria<sup>48)</sup> Donubium transeuntes, Materni et Detrici exercitum, quem civitas Potenciana capere non poterat, in campis, in tentoriis commorantem crudeliter trucidarunt. Ex qua etiam invasione Detricus conturbatus exivit contra Hunos in campum Tawarnukwelt<sup>49)</sup> pugnaturus: qui committendo prae-

<sup>43)</sup> Kézai et Chr. Vienn. Macrinum scribunt; Bud., Dubn. et Turcsius Matrinum.

<sup>44)</sup> Cod.: sonauit.

<sup>45)</sup> Cod. erronee paternum habet.

<sup>46)</sup> Cod.: non.

<sup>47)</sup> Alia chronica, et nostrum hoc paulo inferius, Potencianam habent: Kézai in solo cod. Eszterh et ibi etiam semel tantum: Potenciam.

<sup>48)</sup> In ceteris chronicis Sicambria legitur.

<sup>49)</sup> Eronee scribit codex: Tawarunkwelg (seu völgy). Kézai: Tawarnucweg, Bud.: tauarnokuelgy, Dubn. tauarnok uelghy habent. E

lium Hunos fertur devicisse, cum suorum maximo interitu et periculo : ex Hunis vero, qui permanerunt, fugerunt *ultra Tisam*<sup>50)</sup>. Ceciderunt autem illa die ex Hunis centum et vingtiquinque milia ; Keweque Capitaneus interiit in ipso praelio inter illos : ex Detrici vero et Materni exercitu, exceptis illis, qui in suis tentoriis manserunt trucidati, ducenta et decem milia corruerunt. Videns autem Detricus tantam cedem sui populi in praelio, post congressum altera die perexit versus Tulnam civitatem, quae tunc erat Civitas Latinorum, inter urbes Pannoniae computata ; Materno potentia nullatenus remanente. *Tulna civitus est in Austria, tres Rastas*<sup>51)</sup> *diffrerit a Viena*<sup>52)</sup>. Ut autem cognoverunt Huni retro cessisse suos adversarios, ad locum certaminis sunt reversi, et cadavera suorum sociorum et Kewam Capitaneum more scythico prope stratam<sup>53)</sup>, ubi statua solemnis lapidea est erecta, decentissime subterraverunt, locumque illum et partes illas Kewehaza<sup>54)</sup> vocaverunt. Experientes igitur in praelio praecesso animositatem et Romanorum paraturam, resarcito exercitu versus Tulnam civitatem, ubi se inimici corum collegerant, Huni pereixerunt. Contra quos Detricus cum Materno in Cewzmaur<sup>55)</sup> dicitur occurrisse, et a mane usque ad nonam

---

contra *Chr. Vienn.*, sec. XIV. descriptum, iam recentiore uititur forma : *Tarnukuolg* ; *Turócius* itidem : *Tarnokwelgh*.

<sup>50)</sup> *Kézai* solummodo „in sua . . . tabernacula“ habet. *Chr. Vienn.*, *Bud.* et *Dubn.* cum nostro congruunt.

<sup>51)</sup> Rectius cum *Vienn.* et ceteris : *Rastas*.

<sup>52)</sup> *Scissiam* habet Cod. — *Kézai* hunc locum non habet.

<sup>53)</sup> Cod. *stratum*.

<sup>54)</sup> *Kézai* vetustam formam : Cuve azoa habet, *Chr. Vienn.*, utique recentius : Kewe oza, *Bud.* et *Dubn.* cum nostro fere : keuhaza. *Turóci* utramque, medium scilicet et novissimam formam adnotat : „Kewe oza vel Kewehaza.“ Plebs huic adusque villam Sancti Petri, necropoli huic Hunorum adiacentem, antiqua partim, partim corrupta pronunciatione : *Keásó* vel *Kajászó-Szentpéter* appellat (Conf. cl. Érdyi academicam dissertationem in *M. Akadémiai Értesítő* Anni 1847. pag. 283.).

<sup>55)</sup> *Kézai* scribit *Cezunmaur*, *Chr. Vienn.* sic, et iterum *Cezumaur* ; *Bud.* et *Dubn.* *Cezmaur*. *Turócius* demum verum literae C in nomine hoc sonum ignorans : *Kesmawr*.

praeliantes Romani sunt devicti : ubi et Maternus mortuus est, et Detricus per sagittam in fronte vulneratus, totoque exercitu Romanorum interempto ac fugato. Ex Hunis vero in illo praelio quadraginta milia perierunt ; Wela, Kadicha, et Keue ibidem interfectis, quorum cadavera abinde removentes, apud statuam memoratam cum aliis Hunis sepulturae tradiderunt. *Postquam autem Romanorum exercitus de Cesumaur est dispersus, nunquam deinceps per plures annos contra Hunos congregari potuerunt* <sup>56)</sup>.

Tunc Huni Athilam, filium Benudech, Romanorum consuetudine super se Regem praefecerunt, qui primo unus de Capitaneis habebatur, et ipse Wudam fratrem suum de flumine Tisciac usque Don principem constituit ac rectorem, vocarique se faciens Hungarorum Regem, metum orbis, flagellum Dei <sup>57)</sup> : *Athila Dei gracia filius Wendekum, nepos magni Nemproth, nutritus in Engadi, quae est melior terra in mundo, Rex Hunorum, Gotorum, Medorum, <sup>16</sup> metus orbis terrae, et flagellum Dei* <sup>58)</sup>.

Athila colore teter <sup>59)</sup>, oculis furiosus, elatus incessu, pectore lato, barbam prolixam <sup>60)</sup> deferebat, venereus etiam erat ultra modum ; in archa sua (aes) tenere contempnerebat, audaciae quidem temperatae, astutissimus in praeliis, ac solertus, fortitudinis competentis suo corpori habebatur ; in voluntate magnanimus, armis politis, mundis tabernaculis, cultuque utebatur ; amabatur siquidem ab extranea natione, co quod esset liberalis et communis ; ex natura vero severitatem quam habebat, mirabiliter a suis timebatur. Linguarum ideoque diversarum nationes de finibus orbis terrae ad eum confluabant, quibus pro posse liberaliter affuebat. Habebat etiam

<sup>56)</sup> Locum hunc omnibus citatis chronicis communem *Késai* non habet.

<sup>57)</sup> Chr. Vienn., Bud. et Dubn. intersetur : „Titulum siquidem suum tali sub forma scribi faciebat.“

<sup>58)</sup> Hunc ceteris, Turócio etiam, communem locum *Késai* itidem non habet.

<sup>59)</sup> Sic omnes ; noster erronee : totus.

<sup>60)</sup> *Késai* interset : „cum Hunis.“

quatuor milia curruum falcatorum, diversas machinas, et omnia ingenia, quibus castra et urbes confringuntur, quae in suo exercitu secum ferebat. Tabernacula quidem variis modis diversorum regnorum operata habere consueverat, unum tamen habebat sic celebre ac solempne, ut ex laminis aureis mirifice coniunctum, solidatum <sup>61)</sup>, nunc solvi et nunc coniungi ad tendentium staret voluntatem. Columpnae vero eius ex auro laboratae, habentes iuncturas, opera ductilia, in medio tamen vacuae, in suis iuncturis lapidibus preciosis fabricatae iungebantur. Sed in sua Maristalla, dum pergeret ad exercitum, diversarum patriarcharum equis replebantur, quos quamvis visus esset habuisse largiter, tamen egentibus tribuebat, ita quidem, ut duos vix haberet aliquando pro usu equitandi. Ista vero Maristalla ex bisso et purpura habebat parata. Sed et regales vestes et sellae ex auro fuerant et lapidibus preciosis laboratae. Mensa erat tota aurea, vasa etiam coquinaria aurea erant, thalamus autem eius ex auro purissimo mirifice fabrificatus secum in exercitu ferebatur. In huiusmodi igitur et in aliis seculi pompis Atele Rex Hunorum erat gloriosus. Expeditio vero sua practer extraneas nationes centenis milibus <sup>62)</sup> virorum armatorum replebatur, ita quidem, ut si unum decedere contigisset, statim unus ad locum eius ponebatur. Arma quidem gentis eius ex corio maxime et metallis variis diverso modo erant fabricata, *arcus habens et lanceas acutissimas, et cultros accinctos in femore* <sup>63)</sup>. Walnerium <sup>64)</sup> quoque Regis Athilae, quod in suo scuto gestare consueverat, similitudinem asturis <sup>65)</sup> in capite habebat cum corona. Id signum Hungari,

<sup>61)</sup> Cod.: solidata.

<sup>62)</sup> Exmisit librarius vocem: *decies* (nempe centenis millibus), quam ceteri omnino habent.

<sup>63)</sup> Hie etiam noster cum *Vienn.*, *Bud.*, *Dubn.* et *Turócio* congruit; Kézai simpliciter: „ferens (gens hunorum nempe) arcus, cultros et lanceas“ habet.

<sup>64)</sup> Sic et *Chr. Vienn.* — *Bud.* et *Dubn.* balnerium scribunt; Kézai et *Turóci* „banerium“ corrigunt.

<sup>65)</sup> Sic *Vienn.*, *Bud.* *Dubn.* — *Turóci* corrigit: asturis. Kézai duntaxat *avis* habet.

dum se regerent per communitatem, usque ad tempus ducis Geyse, <sup>17</sup> filii Toxun, in exercitu semper communiter gestavere <sup>68</sup>).

Postquam autem commisso praelio in Chezumaur <sup>67</sup>) redissent Huni cum victoria ad sua tabernacula, diebus paucis ultra Tisciam cum uxoribus remanserunt. Et hoc facto rex Atila ad Czewem <sup>68</sup>) solempnem *curiam* fecit congregari, in qua Detricus de Verona cum principibus Almaniae accedens, omnem homagionem et reverentiam Regi Athilac fecisse perhibetur. Suggestit itaque Regi ad partes occidentales personaliter <sup>69</sup>), ubi magnum honorem posset adipisci. Cujus quidem amplectens consilium, exercitu statim proclamato, egressus de Sicambria seu *Buda* Illiricos dicitur invasisse; deinde Constantiae Rhenum <sup>70</sup>) pertransivit, cui Sigismundus rex occurrit circa Basileam cum exercitu magno, quem cum gente tota contrens; suo dominio subiugat; a loco autem illo egressus *iuxta Rhenum* ad Argentinam civitatem obsedit, quam quidem nullus Caesar potuit primitus expugnare, ipse Athila expugnavit, diminuendo murum eius undique locorum, ut cunctis aduentibus sine gravitate via libera paeberetur: edicens firmis-

<sup>66</sup>) Locum hic *Kézai* interpolat, quem nulla alia compilatio, nec *Turócius*, habet; quique sat notabilis, ut hue exscribatur: „Civitatum, castrorum et urbium dominus fieri cupiebat, et super illas dominari, habitare vero in ipsa contempnebat; cum gente enim sua in campis cum tabernaculis et bigis incedebat. Extera natio, quac eum sequebatur, in civitatibus et in villis. Indumentorum vero modus et forma, sibi et gente modum Medorum continebat.“

<sup>67</sup>) Alia manus, sed antiqua itidem, in margine notavit: zesselmawr

<sup>68</sup>) Sic etiam *Kézai*; *Chr. Bud.* et *Dubn.* scribunt: Zeuen, puta (cum cl. Jerneyo) Sövény, quod huicdusque nomen Sövényháza gestat praedioque Puszta-Szer, per conventum hungarorum, qui sub Arpado leges regni fundamentales condidit, nobilitato, contiguum est. *Chr. Vienn.* et *Turócius* locum, ubi Atila congregationem hanc suorum celebravit, reticent.

<sup>69</sup>) Supple, cum *Chr. Vienn.* aliisque: accedere.

<sup>70</sup>) *Chr. Vienn.*, *Bud.* et *Dubn.*, ipse *Turócius* cum nostro Constantiae regnum habent, per persam utique. *Kézai* recte: *Rhenum* Constantiae per transivit.

sime, ne ipsius murus ipso vivente inuraretur <sup>71)</sup>: ut eadem Civitas non Argentina, sed Strasburg vocetur propter viarum pluralitatem, quas fecit in muro ejus facerat aperiri. Amoto igitur suo exercitu de Argentina, iuxta Luxoniam <sup>72)</sup>, Wizanciam <sup>73)</sup>, Chalon, Masticam <sup>74)</sup>, Ligonensem <sup>75)</sup>, Burgondam, et Lugdinum <sup>76)</sup>, destrui fecit civitatem usque terram, et egressus inde juxta fluvium Rhodanum pervenit Cathalanijs, ubi diviso suo exercitu, tertiam partem suae gentis contra Mirananam <sup>77)</sup> soldanum potentissimum cum electis capitaneis destinavit. Quo auditio idem de urbe Sibiliae <sup>78)</sup> fugit ante Hunos in Marchiam <sup>79)</sup>, brachio maris, quod strictum Sibulae <sup>80)</sup> dicitur, transpassato. Hoc facto idcirco <sup>81)</sup> regem Athilam Romanorum patricius dictus Eucius <sup>82)</sup> cum X regibus occidentalis terrae invasit ex abrupto <sup>83)</sup>, cumque insulatum niteretur facere super Athilam, per nuntios petens indu-

<sup>71)</sup> Cod. et *Kézai* mutaretur, at perperam. Chronica citata, barebare licet „murateatur“ habent.

<sup>72)</sup> *Kézai* rectius : Luxouium (Luxeuil).

<sup>73)</sup> *Kézai* et *Vienn.* Bizanciam, *Bud.* et *Dubn.* Bisantium, *Tur.* Byzantium scribunt (Besançon).

<sup>74)</sup> Chronica cetera Masticonem, Masticoniam scribunt (Macon).

<sup>75)</sup> Sic *Kézai* etiam ; ceteri Ligonem habent. Schwandtnerus nomen hoc cum Lingonibus (Langres) idem esse collimat, quod ego quidem mihi ob discrepantiam locorum persuadere non possum. *Burgondam* etiam, non, cum hoc, provinciae, sed urbis Bourg nomen esse convictus sum.

<sup>76)</sup> Apud *Kézai* locus hic corruptus sonat : Lugdulum Burgundie. Optime ceteri habent cum *Chr. Vienn.* : Lugdunum (Lyon).

<sup>77)</sup> *Kézai* : Miramamoniam ; *Chr. Vienn.* : Miramomonam ; *Bud.* et *Dubn.* : Miramannionam ; *Tur.* : Mirmammon.

<sup>78)</sup> Id est : Sevilla. Cod. Sibilec habet.

<sup>79)</sup> Omnes, *Kézai* etiam (excepta tamen lectione Podhradeckyana, minus iusta) rectius legerunt, et quidem *Kézai* : Maroquiam, *Vienn.* : Marrachiam, *Bud.* et *Dubn.* : Marrochiam, *Tur.* : Marochiam (Marocco).

<sup>80)</sup> Sibile (Sevilla).

<sup>81)</sup> *Kézai* : interea.

<sup>82)</sup> *Chr. Vienn.*, *Bud.* et *Dubn.* Eucium scribunt ; *Kézai* Ecium, *Tur.* Ethium pro Aetlo.

<sup>83)</sup> Sic *Kézai*. Cod. noster habet : obrupto.

cias praeliandi, ut copiae suaes gentis, quae fuerat adversus Soldan<sup>84)</sup> destinata, remearet: illis renuentibus, inter ambos exercitus a mane usque ad noctem in campo, qui Wewin<sup>85)</sup>, dicitur, praelium est commissum. Erat enim inter ambos exercitus fluvius discurrens tam parvissimus, ut si capillum quis in ipsum iactasset, suo lento motu potuissest vix inferius removere: praelio autem iam facto, animalium et hominum sanguine inundando, tantus torrens fuisse prohibetur, ut aurigam cum curru introtraheret ac armatos, fieretque mortalitas non modica per torrentem in utroque exercitu. Illud ergo praelium, quod commissum extitit inter reges occidentis et Athilam, *in campo Wewinder Cathalanis*, omnibus praeliis huius mundi, quae commissa<sup>8</sup> sunt uno die et uno loco, terribilia et magis ardua per veteres non memorantur. In quo quidem conflictu rex Gotorum Marinus<sup>86)</sup> nomine Aldaricus extitit interemptus; cuius quippe obitum dum alii reges cognovissent, *qui occisi non fuerant*, fugae latebras quaeritarunt. Ab illo ergo die elevatum est cor Hunorum et Regis Athilae, timorque percussit orbem terrae. Quo auditu census et tributa plurima regna promiserunt.

Tertia vero pars exercitus Athilae Regis, quae non potuit in hoc praelio interesse, timens Athilam propter moram, usque vitam Athilae remansit Cathalanis, eiusdem patriae habitatores tandem sunt effecti, *Pannionam nolentes remeare*. Erant enim soli huni *ad usque Mirmamaniam destinati LXV milia*, vel secundum quosdam libros CCCXXX milia in hunis, excepta extranea natione<sup>87)</sup>. Ex hiis hunis plures fuerant

<sup>84)</sup> Ita, cum nostro, ceteri etiam chronographi; Kézai solummodo: quae absens fuerat.

<sup>85)</sup> Kézai scribit: Beluider, *Chr. Vienn.*: Bewinde, *Bud.* et *Dubn.*: Beuinder; noster paulo serius: Wewinder (Vienne? a qua urbe vicus Chalonnay non procul distat).

<sup>86)</sup> Ita etiam *Vienn.*, sed erronee omnino pro: maximus (rex nempe), sicut *Bud.* et *Dubn.* habent.

<sup>87)</sup> Locus hic ecteris etiam chronographis, praeter Kézai, communis; demta tamen parenthesi quam nullus habet. Kézai hoc loco in

capitanei constituti, qui lingua ipsorum Hispani <sup>88)</sup> vocabantur, ex quorum quidem nominibus Hispania <sup>89)</sup> tota nomen assumpsit.

In loco siquidem praelii diebus paucis commorante Athila, regressus est cum victoria, venitque in civitatem Tholosanam, in qua per cives cum summa laude est receptus. Abinde se removens, abiit contra Remensem civitatem, capitalem urbem Gallicorum, quae ei, dum pergeret Cathaloniam, restiterat vehementer. Quam occupans, sine misericordia omnes, quos ibi reperit, igne ac gladio devastat, taliterque tota Francia et Flandria demolita, pervenit Coloniam, ubi sanctam Ursulam, Waractanorum <sup>90)</sup> regis filiam, cum XI milibus virginum Hunorum feritas crudeliter iugulavit. Rheno ibidem transpassato Coloniae, deinde intrans Turingam apud Hysinacum civitatem, curia solemptni in ipsa celebrata, super Danos <sup>91)</sup>, Norvagios <sup>92)</sup>, Frisones, Lituanos, et Prutenos exercitum destinavit, quos devictos sibi fecit deservire.

Egressus vero curia celebrata in Sicambriam civitatem Pannoniae intravit, in qua propriis manibus Wudam fratrem suum interfecit, ac corpus suum in Donubium proiecit, quia ipso Athila in partibus occidentalibus demorante <sup>93)</sup>, idem Wuda inter ipsum (et) Athile fratrem suum metas stabilatas transgressus fuerat dominando: nam Sicambriam suo nomine fecit nominari Wudawara <sup>94)</sup>. Et quamvis rex Athila Hunis, ac aliis gentibus posuissest interdictum, ut eadem civitas non Wudawara, sed urbs Athila vocetur, Theutonici, interdictum

hunc modum scribit: „Erant enim soli Huni practer exterias nationes CCC millia, XXX millia et XXXII Huni.“

<sup>88)</sup> Omnes alii habent: Spani.

<sup>89)</sup> Solus Kézai scribit Ispaniam.

<sup>90)</sup> Chr. Vienn., Bud. et Dubn. erronee: Bractanorum scribunt. Kézai et Turócius cum omnibus legendariis „Brittanorum“ habent.

<sup>91)</sup> Cod.: Datos.

<sup>92)</sup> Sic Kézai; cod.: Norvanos.

<sup>93)</sup> Omnes codd. hic nostro assentiunt, Kézai „preliante“ habet.

<sup>94)</sup> Kézai nomen hoc reticet; reliqui utique Budawara scribunt.

formidantes, Ezelburg<sup>95)</sup> | eam vocant, seu urbs Athilae: Hungari vero interdictum non curantes, adhuc eam Wudam usque huc vocant et appellant.

His itaque sic peractis, quinque annis Sicambriae requietit, speculatoribus suis per mundi quatuor partes destinatis sive distributis. Speculatorum quidem prima societas de Sicambria ordinatim, in quantum unius clamor ad alterum potuisset exaudiri, *die nocteque*<sup>96)</sup> Coloniae Germaniae civitate stare consueverat, altera pars usque Lituaniā, tertia in littore Don fluvii<sup>97)</sup> Ethul, sed quarta statio Ydriæ<sup>98)</sup> Dalmatiae civitate consistebat, quorum quidem clamore et voce, quid Athila ageret, vel quali exercitationi esset deditus, mundi quatuor partes scire potuissent.

Pannoniae, Pamphyliæ, Phrygiae, Macedoniae, et Dalmatiae civitates, quae per Hunos obsidione crebra erant fatigatae, natali solo derelicto, in Apuliam per mare Adriaticum, licentia ab Athila impetrata, *servire ipsi Athilae renuentes, dimissis armentis*, transierunt. Vlachis, qui ipsorum coloni erant vel extitere, ac pastores, remanentibus sponte in Pannonia. Cumque Rex Athila quinque annis pausasset Sicambriae, sui exercitus defectum, videlicet tertiae partis, quae dudum remanserat Cathalauniis, resarcire et invenire procuravit; curiaque celebrata egressus de Pannonia, per Carinthiam, Stiriam, et Dalmatiā pertransiens, apud urbem Salonam et Spaletum mari Adriatico se coniunxit, ambasque urbes fecit cremari. Ab illo vero loco egressus, perexit circa mare, Traguriam, Scardonam, Sibenicum, Iadram, Nonam<sup>99)</sup>, Steniam<sup>100)</sup> civitates,

<sup>95)</sup> Kézai vetusta hungarorum orthographia Echulburg scribit: *Chr. Vienn.*: Ecyclburg, *Bud.* et *Dubn.*: Ecilburg, *Tur.*: Eczelpurg.

<sup>96)</sup> Chronica cetera pariter *hoc* loco addunt: *die ac nocte*; Kézai idem, sed paulo rurius.

<sup>97)</sup> Supple e ceteris: id est. Kézai nomen hungaricum hic non habet.

<sup>98)</sup> Kézai: Jadre, *Chr. Bud.* et *Dubn.* habent iadriæ; *Vienn.*: ydrie, Cod. Beldianus meus: Jadrie.

<sup>99)</sup> Nonam habet, cum Kézai, *Chr. Vienn.* etiam, et *Turócius*. E contra *Bud.* et *Dubn.* minus recte Novam scribunt.

et alia multa oppida in montibus destruens, pervenit tandem Aquilegiam. Cuius quippe magnitudine conspecta, abhorruit, et se confusum reputans si dictam urbem inexpugnatam reliquisset : pro eo maxime, quia plures *rebelli*, Longobartli de Pannonia, fugisse in ipsam ferebantur, quos cum per nuntios a civibus repetisset, illos tradere recusassent, expugnare cepit diversis machinis civitatem, quam cum capere nullatenus potuisse, obsedit eam uno anno et dimidio. Accidit autem uno die, ut ipsam civitatem circuiret, multis phitonicis latus eius adhaerentibus, in quibus iuxta suae fidei opinionem spem maximam apponebat. Videns ciconiam de mari evolantem, et in pinaculo unius palatii, in quo habebat nidum suum, resedisse, acceptoque in rostro suo pullo uno, in maris arundines illum deportavit; reversa iterato, et alias pullos suos simul cum nido transportabat. Quo viso Rex Athila, suos milites ad se vocans, dicens : Cernite, socii, quod ista ciconia futurorum factorum<sup>101)</sup> indicia notat, et urbem istam per nos sentit dirudendam, ad fugam, ne pereat cum civibus, se communis. Estote ergo in praelio die crastino fortiores, videbitis civitatem ruituram. Tunc edicto proclamato, machinarum omni genere adhibito, cum non posset civitatem expugnare cum machinis, consilio Seythorum tandem usus, sellam unam ex decies centenis milibus de quolibet postulavit, fecitque ex sellis iuxta muri circuitum congeriem vehementem, et iussit incendi sellas illas, quarum flama et ardore murus se dissolvens, cum turribus in terram est prostratus. Quo viso cives derelicta civitate in insulam maris fugierunt. Eandem enim insulam maris aquilegienses decernunt intrare, aeterno ibi permansuri, quae vetus Venetia usque huc nominatur : in qua quidem aliquamdiu habitantes, propter metum Regis Athilae ipsam derelictam insulam, quae Realt dicitur, intraverunt permansuri. Veneti quidem sunt etiam terrae Aquilegiae, quam fundasse perhibentur. Veneti quidem non accipiunt originem de Sabaria, ut

<sup>100)</sup> *Chr. Vienn., Bud., Dubn.* Sceniam ; *Kézai*: Senam scribunt. Pray recte corrigit Segniam.

<sup>101)</sup> *Kézai* : fatorum Ceteri chr. cum nostro consentiunt.

quidam opinantur. Nam Sabariam Latini, Longobardi inhabitant, et erat ibi scola generalis tam ipsis Longobardis, quam aliis gentibus terrae, poetarum, multis philosophorum dogmatibus luculentius illustrata, et variis idolorum erroribus mancipata, quam quidam rex Gottorum nomine Archellaus primo volens capere, diu obsessum non potuit: demum metus orbis expugnavit, cuius nempe incolae per Hunos expulsi nunc habitant Papiae in Italia, iuxta fluvium Tytan<sup>102)</sup>.

Destructa itaque civitate Aquilegia, Concordiam denique, in Forum Iulii, destruxit civitatem. Deinde in Marchiliam<sup>103)</sup> intrans Longobardiae, Tervisiam, Paduam, Veronam, Wrixam, Cremoniam, Mantuam, Pergamum, Mediolanum, *Allexandriam* et Feraram, aliasque plures urbes ipsius regionis suo dominio subiugavit. Post hoc Ravennam dum venisset, Arrianorum archipraesul, qui in ipsa civitate contra sedem apostolicam duodecim cardinales fecit elevari, sectam suam imitantes, habens thesaurum copiosum, civibus ignorantibus in urbem Ravenam clam Hunos intromisit, filiosque waptismatis<sup>104)</sup>, qui in ipsa civitate erant potiores, fecit iugulari, promittens nihilominus Regi Athilae quod si sectae suae adhaeserit, fueritque persecutus christianos per totam Italiam, et Romanam civitatem, cum Africa, sine fatigione suae gentis et expensis sibi subiugaret. Cumque Athila libenter annusset, magis oblectatus amore dominii, quam sectae memoratae: cognoscentes Romani periculum, quod inde emergere posset christianis, Leonem, *vel secundum quosdam Benedictum*<sup>105)</sup>, adeunt Apostolicum, ut Athilam debeat dirigere gressus suos, petens eum ex parte Romanorum, ut acciperet census ac servitia, quamdiu viveret ipse Athila. Interea Rex Athila ad Apuleam exercitum destinabat, constituens ipsi exercitui capitaneum Hoard, ex tribu Zoard oriundum, qui quidem Apuliam, terram laboris, et Calabriam usque, Regio-

<sup>102)</sup> *Késai* et ceteri rectius habent: tycini.

<sup>103)</sup> Corrige, itidem e ceteris: Marchiam.

<sup>104)</sup> Solus *Késai* habet hic: Catholicos, et rectius quidem.

<sup>105)</sup> Hoc intercissum tantum noster habet.

nem civitatem, et Catoniam, quam sapiens Cato fundasse dicitur, spoliavit, et cum summa praeda revertitur <sup>106)</sup>). Cumque Leo papa cum cleri multitudine ac crucibus ad Athilam pervenisset Ravenam, in campo simul in equis colloquium habebant, et dum promissa et verba audisset Romanorum, honesta videbantur, Rexque Athile admittere decrevit tamen postulata Apostolici ob timorem: nam cum idem Rex oculos superius elevasset, vidit super caput suum pendere quemadmodum hominem in aere, habentem gladium versatilem in manu sua, qui ipsius caput quasi stridentibus dentibus truncale minabatur, nisi <sup>107)</sup> Romanis admittendo postulata (annueret). Coram Apostolico licentia data, Rex Ravenam est ingressus, in qua quidem archipraesulem arrianum fecit captivare cum suis sequacibus, Papae imitatus <sup>108)</sup> consilium. Et postquam exegisset ab eo et complicibus suis LX milia marcarum auri, ipso iugulato, cum omni copia sui exercitus frena revertit, Pannoniam est reversus.

Cum ergo per meridiem, aquilonem, atque orientem longe lateque suum imperium extendisset, verteretque in animo suo transfretare, ut aegyptios, assyrios, ac Africani subiugaret; tunc filiam regis Baractanorum nomine Micoloth <sup>109)</sup>, supra formam humanam pulchriorem, sibi adducunt ad amandum: quam in tantum adamasse prohibetur, ut modum excesserit, sicuti ei moris erat, in potando; factoque fine coitus puellae, usque consumato, de naribus eius sanguis egrediens, supino dormienti vero post in guttur intravit, ubi sanguis coagulatus tractum impediens anhelitus, Athilam interimit. Micoloth vero de somno excitata, cum suum Dominum motu celeri tetigisset, et ille se movere non potuisset, cernens corpus fri-

<sup>106)</sup> Integrā hanc periodū Kézai tardius inserit; ceteri cum nostro eandem scriem sequuntur.

<sup>107)</sup> Cod. si, erronee tamen.

<sup>108)</sup> Sic ceteri chronistae; noster Cod. habet: immadatus.

<sup>109)</sup> Turóci corrigit: Bactrianorum. Nomen vero uxoris Chr. Vienn., Bud. et Dubn. scribunt: Micolch; Kézai, cum nostro fere, Micolt.

gidatum et privatum calore naturali, cubicularios regios eius latu magno ad se vocans, Dominum suum eis demonstrans universae carnis viam intrasse. Qui sane clamore terribili per strepando, universos vigiles ad hostium palatii eorum ciulatu fecerunt cursitare; sepelieruntque cum Wele, Kadicha, et Keve, et aliis Capitaneis Hunorum in loco superius memorato.

Divulgato igitur eius obitu, obstupuit totus mundus, et utrum inimici eius lugerent, an gauderent, haesitabant: filiorum multitudinem formidantes, qui quasi populi vix poterant connumerari, et credebat aliquem post obitum patris regnaturum ex filiis. Detrici vero, ac aliorum principum alienorum astutia, quibus Rex Athila in collo imperando residebat, Hunorum impetita communitas in partes diversas est divisa, ita quidem, ut quidam Chabam<sup>110)</sup> Regis Athilae filium ex Graecorum Imperatoris, scilicet Honorii filia, procreatum; alii vero Aladarium ex Germaniae principissa, scilicet ex Domina Curiundina<sup>111)</sup>, in regem post Athilam sibi praeficere nitebantur. Quamvis vera pars Hunorum cum Chabac adhaesisset, Detricus cum paucis Hunis Aladario: ambo regnare ceperunt. Dumque alter alteri se praeferre niteretur, (inter) ambos reges tam durum bellum est commissum, ut per XV dies continuos ita Donubium germanico sanguine inundavit, ut si Teuthonici, occasionem, quae per Hungos facta est diebus memoratis, ob odium non celarent, profecto possent confiteri, quod a Sicambria usque Potencianam nec homines, nec bruta animalia de Donubio aquam puram bibere potuissent. Istud est illud praelium, quod hungari Crimheled<sup>112)</sup> praelium vocant usque in diem istum. In hiis itaque praeliis semper Huni et Chaba victoriam habuerunt. Postquam vero Detricus de Veronia proditamento Chabam fecit superari, et vix quindecim milia ex parte Chabac remanserunt, aliis Hunis et filiis Athilae totaliter deletis et oc-

<sup>110)</sup> Cod. Cabani, erronee tamen.

<sup>111)</sup> Male utique, pro Kriemhilde. Késai: Cremildi, Chr. Vienn. Crumheldina, Bud. et Dubn. Crimheldina. Serius vero, aequo pro Kriemhilde, noster Remheled scribit.

cisis. Devictus itaque Chaba et germani sui, filii Athilae, qui ei assisterant, ex adverso<sup>112)</sup> numero LX cum XV milibus Hunorum ad Honorium avunculum suum fugisse perhibetur. Et quamvis Honorius Imperator incolam Graeciae facere voluisse illo remeare, rencire paternam sedem, videlicet Scythiam, expeditivit moraturus. Manserat namque Chaba in Graecia apud Honorium duobus annis: sed rediit in Sciciam propter disturbiam uno anno. Hic autem in Sciciam adiendo, uxorem de Scicia non accepit, sed traduxit<sup>113)</sup> de Corosmania, de consilio Wendenkuz avi sui, quem sanum, sed nimis decrepitum dicitur inventisse. Ex ista uxore sua genuit Edemin et Ed. Igitur Chaba suo amonitu redire fecit Scythicis iterum in Pannoniam.

*Hic nota de Siculis:*

Remanserunt autem ex huius Hunis virorum tria milia, quae fugerant, erexit de praelio Cuminhuldino in campum Siglamezei se colligere procurarunt, qui cum timerent occidentis nationes, ne eos invaderent ab abrupto, ad Erdevelyu<sup>114)</sup> intraverunt, non se Hungaros, sed Zewkalos alio nomine vocaverunt. Isti enim Zeculi Hunorum sunt residui, usque ad alium Hungarorum exitum<sup>115)</sup>, in campo praefato commorantes<sup>116)</sup>. Isti namque Seculi Chabam in Graecia periisse putarunt, unde vulgus adhuc loquitur inquiens: tunc redire debeas, quando Chaba de Graecia revertetur. Iste namque Chaba legitimus filius erat Athilae regis, cuius filii sunt Edemin et Ed vocati. Edemin<sup>117)</sup> vero Chaba in secundo reditu in Pannoniam perse cum maxima familia et cognatione patris et matris suae in-

<sup>112)</sup> Nescio, quid sibi haec verba: „ex adverso“ hic loci velint; quae ceterum noster cum Chr. Vienn. communia habet.

<sup>113)</sup> Cod.: tradunt.

<sup>114)</sup> Cod.: de Erdevelyu.

<sup>115)</sup> Cod.: prelium.

<sup>116)</sup> Chr. Vienn., et cum hoc Bud. et Dubn. interserunt: „Dum enim hungaros iterato in pannoniam redire cognouissent, in rutheniam eis occurserunt, conquerentes simul pannonicę regionem. Vbi tandem in eadem sorte remanserunt.“

<sup>117)</sup> Cod.: Eundem habet, male alioquin.

trovit. Ed autem remansit in Scicia. Ex isto etiam Chaba Abae<sup>118)</sup> generatio est exorta<sup>119)</sup>.

Exterminata itaque multitudine<sup>120)</sup> filiorum Regis Athilae, tandem Pannonia permansit sine rege X annis, Olachis, Grac-  
cis, Machianis<sup>121)</sup>, Thetunieis, Selavis exilibus remanentibus  
tum in pannonia, qui Athilae serviverunt. Surrexit autem . . .  
. . . quidam princeps Zachapolus nomine, Moroti filius de Po-  
lonia, cepit in Pannonia dominari. Hunc quidem primi Hungari  
de Erdel muneribus variis explorantes, tractando diversis  
sermonibus, denique irruptione subita in oppidum circa pontem  
Bani iuxta Tatam<sup>122)</sup> cum tota militia devenerunt<sup>123)</sup>, et sic  
populis Pannoniae memoratis, quos Moroti filius dilatando  
auxerat, inceperunt dominari<sup>124)</sup>. *Regnavit autem Athila an-*  
*nis quadraginta quatuor. Ducatum tenuit V annis, vixit cen-*  
*tum XXIV annis. Et tantum de prima Chronica Hunorum.*

INCIPIT PROLOGVS IN SECUNDAM CHRONICAM  
EORVNDEM. Digestis<sup>125)</sup> igitur Hungarorum natalibus,  
praeliis felicibus ac sinistris, quo ciensque eorum loca immuta-

<sup>118)</sup> Cod.: ambo.

<sup>119)</sup> Hic *Chr. Bud.* et *Dubn.* cum nostro conveniunt; *Kézai, Chr. Vienn.*, et post hoc *Turóci* adiiciunt: „Cum ergo Chaba, adiens in Scythiam, nobilitate genitricis in communi se jactaret: Huorum nobilitas ipsum contemnebat, asserentes: eum non esse verum alumnum Regni Scythiae, sed quasi Missitalium exterae Nationis. Propter quod ex Scythia uxorem non accepit, sed traduxit de gente Corosmina.“

<sup>120)</sup> Cod.: multitudinis.

<sup>121)</sup> „Marahanis“ certo scribere voluit, et rectius omnino *Kézai* et cet. omnibus, qui Messianos habent.

<sup>122)</sup> *Kézai* vicum hunc hodie etiam usurpato nomine „Banhida“ vocat, fluvium autem, cui adiacet, „Racus“ (*Rákos*). *Chron. Bud.* lucu-  
lenter „iuxta Tatam“ habet, quo nomine vetustis temporibus rivulus  
ille audiverit, qui ad Bánhida defluit. — Cod.: iuxta catam.

<sup>123)</sup> *Chron. Bud.* melius: deleverunt. *Kézai* et *Turóci*, licet alio  
stile, ille: peremerunt habet, hic: delevisse.

<sup>124)</sup> Locus hic de Suatoplucō *Chronico Bud.* cum nostro communis.  
*Kézai* his amplior est, magis adhuc *Chron. Vienn.* et *Dubn.*, mutato ta-  
men paululum ordine narrationis.

<sup>125)</sup> *Chr. Vienn.* cum nostro „Digestis“ habet, aequo erronee, pro:  
*Digestis*, sicut ceteri recte.

verunt: Nunc videndum est, quo tempore in Pannoniam redierunt iterato, quiue redeuntium fuerint Capitanei, quantusque numerus armatorum in exercitu, apponere in praesenti opusculo dignum duxi.

Porro Eleud filius Ugek, ex filia Ewidbilia<sup>126)</sup> in Moger, genuit filium, qui nominatur Almus ab eventu, quia matri eius in sompno innotuerat avis, quasi in forma austuris veniens, dum esset gravida: et quod de eius utero egredetur torrens, ac in terra sua numero multiplicaretur. Ideo statutum fuit, quod de lumbis eius gloriosi reges propagarentur. Quia sompnum lingua nostra dicitur Alm<sup>127)</sup>, et illius ortus per sompnum fuit pronosticatus, ideo vocatus est Almus, qui fuit filius Eleud, qui fuit Ugek, qui fuit Ed, qui fuit Chaba, qui fuit Wendekuz, qui fuit Torda, qui fuit Ethhey, qui fuit Caducha, qui fuit Berend, qui fuit Zulta, qui fuit Wulchu, qui fuit Wobag<sup>128)</sup>, qui fuit Lchel<sup>129)</sup>, qui fuit Leventa, qui fuit Ompud, qui fuit Miska, qui fuit Chanad, qui fuit Wuken, qui fuit Farkas, qui fuit Athmar, qui fuit Wele, qui fuit Keve, qui fuit Keled, qui fuit Dama, qui fuit Boor, qui fuit Hunor, qui fuit Nembroth, qui fuit Thana, qui fuit Iaphet, qui fuit Noe. Almus genuit Arpad, Arpad genuit Zaltan, Zaltan genuit Toxun, Toxun genuit . . . .

Anno octingentesimo octuagesimo octavo ab incarnatione Ihesu Christi Hungari ingressi sunt Pannoniam, et intrauerunt<sup>130)</sup> in Herdewel, ibique septem castra terrestria praeparaverunt pro uxoribus et rebus suis conservandis; aliquamdiu permanerunt. Qui circumiacentes dominos formidantes, de communi consilio VII Capitancos inter se praefecerunt,

<sup>126)</sup> Lapsu librarii loco: Eunodibia Chr. Vienn., aut Ennodbilia Chr. Bud. et Dubn. (Anon. Belae R. Not. Eunedubelianum vocat patrem uxoris Ugek, quam hic auctor Emesu appellat).

<sup>127)</sup> Sic Chr. Vienn., Bud. et Dub. Turócius iam, recentiori forma, Alom scribit. Cod. noster erronee Alni habet, et tardius passim, sed non semper: Alin, A lini, Alinus, pro: Alm, Almi, Almus.

<sup>128)</sup> Erronee pro Wolug, aliorum Bolug (Balog).

<sup>129)</sup> Codex: Lelel.

<sup>130)</sup> Codex: inuenerunt.

et in septem exercitus sunt divisi ita, ut unusquisque exercitus unum haberet Capitaneum, unus namque exercitus habuit triginta<sup>131)</sup> millia virorum armatorum.

Fuerat ex istis Capitaneus ditior et potentior Arpad, filius Almi, qui Almus imperfectus est in Herdewelue<sup>132)</sup>; non enim potuit Pannoniam intrare. Audientes autem Huni de habitatoribus, quod optimus esset Donubii fluvius: accepto itaque consilio miserunt nuncium nomine Kwsyd, filium Kwnd, ut iret, et totam terram conspiceret, habitatoresque cognosceret. Cumque Kusid<sup>133)</sup> venisset, et totam terram conspexisset, et sibi placuisset; deinde venit ad ducem provinciae, qui regnabat posterius Athilam, vocatum Zatopolug, salutavit eum de suis, et tunc, pro quo venerat, manifestavit. Haec audiens Zatopolug, gavisus est valde, putabat enim illos esse rusticos, ut venirent, et terram eius colerent, propter quod nuncium deliciatum remisit. Kysid autem de aqua Donubii lagenam implevit, et herbam weriarum<sup>134)</sup> ponens in utrem<sup>135)</sup>, et de terra nigri sabuli<sup>136)</sup> accipiens, ad suos reversus est. Qui omnia peroptima habuerunt. Arpad vero cum suis de aqua Donubii cornu implens, ante omnes Hungaros omnipotentis Dei clementiam rogavit, ut Dominus eis terram in perpetuum concederet. Finitis hiis verbis omnes Hungari clamaverunt: Deus, Deus, Deus; et ibi inventus est usus, quem modo Hungari observant. Deinde ad praedictum Ducem, eundem remiserunt nuncium, et ei equum album cum sella deaurata et deaurato freno miserant pro terra sua. Quo viso Dux ille magis gavisus est, putabat, quod pro quadam terra misissent, unde breviter dicendo Dux . . .<sup>137)</sup>.

<sup>131)</sup> Codex: tā.

<sup>132)</sup> Cod. habet erronee: herdewebe, id est recentiore orthographia: erdöelve: regio transsylvania.

<sup>133)</sup> Cod. perperam: Kund.

<sup>134)</sup> Periarum, beriarum — interpretatur cl. Podhradczkyus — seu campestrem; beria enim aevi medii scriptoribus locum planum, campestrem significat. Chr. Vienn. habet: pariarum (franco-gallis: prairie).

<sup>135)</sup> Sic Chr. Vienn.; noster: ventre.

<sup>136)</sup> Cod.: salubi.

<sup>137)</sup> Hic loci incuria transcriptoris integra fere pagina omissa

. . . . . praedictos fugiendo ante Hunos, in Danubium est suffocatus. Qui quilem Arpad mortuo Zathopolug castra fecit in monte Noe <sup>138)</sup> prope Albam.

Secundus Capitaneus Zoboley <sup>139)</sup> nomine, unde Cakkak <sup>140)</sup> oritur generatio, descendisse in campo, ubi Kakwara <sup>141)</sup> nunc iacet desolata.

Tertius vero Capitaneus Gula, eratque iste Gula Dux magnus et potens, qui civitatem Albam in Erdewel in veneratione sua invenerat, quae iam pridem a Romanis constructa erat. Habebatque filiam pulcherrinam nomine Soroth <sup>142)</sup>, quam propter pulchritudinem suam Geycha Dux, consilio et auxilio Welud, duxit in uxorem etiam.

Quartus Capitaneus fuit Kund, cuius filius Kysid, et Cupan prope Nyr <sup>143)</sup> fixit tentoria, ubi post baptismum monasterium construxit.

Quintus Leel est nominatus; ex isto Zward generatio oritur.

Sextus wyr Bulchu <sup>144)</sup>, qui circa Walatum <sup>145)</sup> sua tabernacula fixisse approbatur.

Septimus Wrus <sup>146)</sup>; istius siquidem generatio circa Seoloam <sup>147)</sup> habebat.

Aliae vero generationes istis sunt pares, et consimiles, acceperunt sibi loca et descensum ad eorum bene placitum. Cum igitur codices quidam contineant, quod isti capitanei

est, quae e ceteris chronicis — praeter Kézaianum, quod traditionem hanc non habet — suppleri potest.

<sup>138)</sup> Num non Nec (Nyék) est intelligendum?

<sup>139)</sup> Cod., sed perperam Zabeley.

<sup>140)</sup> Corrige: Chaak.

<sup>141)</sup> Intellige: Csákvára.

<sup>142)</sup> Corrige: Sarolt.

<sup>143)</sup> Id est: Nyir.

<sup>144)</sup> Lege: Werbulchu (Vér Bölesö).

<sup>145)</sup> Balaton lacum.

<sup>146)</sup> Lege: Vrs (Örs).

<sup>147)</sup> Chr. Vienn. habet: Seyo lacum. Bud. et Dubn. rectius: Seo locum, Tur. Seyo locum; intellige, ni fallor: Sió-fok.

septem Pannionam introierint,, et Hungaria ex ipsis solis edita sit, ac plantata : unde venit generatio Jaak, Akus, Bor<sup>148)</sup>, Abae, ac aliorum nobilium Hungarorum ? cum omnes isti non hospites, sed de Scicia descenderint ?<sup>149)</sup> ( <sup>150</sup>Si ergo septem soli sunt cum familia, et non plures familiae, uxores, filii, filiae, accipi possunt servi et ancillae : numquid enim cum tali familia regna possunt expugnari ? Absit.

Accidit autem temporibus Toxon : Hungarorum exercitus versus Galliam ascendisse, qui in reditu, Rheno transmeato, divisi sunt in tres partes : duae sine honore, una cum honore, in Hungariam descendit. Quas duas partes dux Saxoniae, sine septem, Hungarorum omnes interfecit : septem autem ex ipsis reservatis, amputatis auribus, misit in Pannionam. Ite, inquit, ad vestros Hungaros, taliter enarrantes, ut amplius non veniant in hunc locum tormentorum<sup>151)</sup>, et quia hii septem hungari se occidi cum sociis aliis non elegerunt, communitas tallem sententiam dedisse perhibetur : ut omnia, quae habebant, amiserunt, quam in re stabili, quam mobili, ab uxoribus et pueris ipsos separantes, pedites sine calcis, proprium nil habere permisit, semper etiam insimul de tabernaculo ad tabernaculum mendicando, usquedum viverent, ire compulerunt. Qui quidem septem ob offensam huiusmodi, mogorck<sup>152)</sup> sunt vocati, qui Zentlazar usque modo Zegun nuncupantur<sup>153)</sup>.

<sup>148)</sup> Cod. erronee Kaak et Wcor habet.

<sup>149)</sup> Intersere, quod librarius exmisit, e Chron. Vienn., Bud., Dubn.: „Assignant enim hanc rationem solam, quam vulgus dicit septem hungaros.“

<sup>150)</sup> Integer hic locus parenthesi inclusus in codice nostro *hic* expressus, ad finem eiusdem reiectus invenitur : et ibi etiam serie naturali turbata, cum periodus paginac sequentis, quae sic incipit : *Ex istis itaque*, et his explicit : *divulgacionem sui nominis*, post hanc inserta inventur : *Qui quidem septem ob offensam hujusmodi mogorck sunt vocati*. Restitui ordinem horum iustum e transscriptore tardiori, Turocio.

<sup>151)</sup> Codex mendozissime *cumanorum* habet.

<sup>152)</sup> Id est : magyarkák, seu parvi, viles hungari. Cod. erronee mogoriek scribit.

<sup>153)</sup> Corrige : Zentlazar Zegini (id est pauperes St. Lazari) usque modo nuncupantur.

*Et hae sic vocatae, quod Sanctus Rex Stephanus omnes illicite procedentes corrigebat, istorum generationes vidit per domos et tabernas cantando, ad ipsorum sectas et trussus coluit edoceri; qui per singula, qualiter eorum patribus per communitatem acciderat, enarrarunt. Sed Beatus Stephanus considerans, quod sine capite et principe nemo bonus extitit, ideo eis commisit, ut ad subiectionem aversorum sancti Lazari de Strigonia subdere se teneantur, et ideo vocantur Zantlazarzygini.* Ex istis itaque dampnatis vulgus dicit, non de illis septem capitaneis primis. Praeterea isti capitanei<sup>154)</sup> VII cantilenas de se ipsis componentes fecerunt inter se decantari ob plausum secularem et divulgationem sui nominis). Constat itaque non tantum septem Capitanos Pannioniam conquestrasse, sed etiam alios nobiles, qui de Scicia descendederunt, qui fuit Gynd, qui fuit Wgad, Ed, Chaba, Torda, Kadicha, Berend<sup>155)</sup>, Bulchu<sup>156)</sup>, Zumbur, Leventha, Ompud<sup>157)</sup>, Mika, Chanad, Buken<sup>158)</sup>, Othnar, Kewy, Kelad, unde in ipsis venerari potest nomen dignitatis plus aliis, nobilitatis vero aequaliter.

Cum quidam sint hospites, nobilitate pares Hungaris, inquirendum est, quare istud esse habuit, cum Hungari<sup>159)</sup> numero ad implendam Pannioniam suffecissent. Geyche namque Dux, divino praemonitus oraculo, convertere cepit gentem Hungarorum ad fidem Christianorum; et dum monitu illos convertere non posset, oportebat quaedam armis edomare. Ad quod faciendum, quia plures suae fidei repugnantes, quam adhaerentes (erant), necessarium habuit desiderium suum divulgare regibus et principibus Christianis. Qui audito huius desiderio, non solum iuvamen transmiserunt, sed etiam personaliter adierunt, quibus fuerat Hungarorum crudelitas nociva, ac exitiosa.

<sup>154)</sup> iam dampnati interset hic, ineptus librarius noster; voces sensu omni loco carentes, delendas itaque.

<sup>155)</sup> Codex: Werend.

<sup>156)</sup> Codex: Wilchu.

<sup>157)</sup> Codex: Oinpud.

<sup>158)</sup> Codex: Wunken.

<sup>159)</sup> Codex: hungariam.

Intravit igitur primum Deodatus de comitibus<sup>160)</sup> Sancti Severini de Apulia, qui fundator extitit monasterii de Tata, et reparator. Iste etiam cum Saneto Adalberto Pragensi episcopo Sanctum Regem Stephanum baptizavit. Illius nomen Sanctus Stephanus mutabat, seu mutaverat, quia eum Tatam appellabat. Huius quidem generatio in Pannonia non habetur, quia sine haerede decessit.

Descendit quoque de Bavaria Wencelinus<sup>161)</sup>, qui cum Saneto Stephano in Simigio ducem Kuppan interfecit. Ex istius sanguine Jaak<sup>162)</sup> principium nascitur et origo.

Advenerunt etiam hiis diebus Chunt et Paznan<sup>163)</sup>, qui Sanctum Stephanum Regem in flumine Goron gladio Thetonicō accinxerunt. Istorū namque generatio ab istis nominibus distare non videtur. Quos quidem comites tam Dux Geycha, quam suus filius, amplis haereditatibus ditavere. Istorū etiam consilio et auxilio Rex est Geycha constitutus.

Woors<sup>164)</sup> autem et Gregorii generatio de Francia est, ex consanguinitate Cornes<sup>165)</sup>.

Renoldi generatio est de Hispania, cum regina Margaretha, coniuge Welae regis, filii Zaar Ladeslai, Pannoniā adeuntes.

De generatione enim Guthkeled<sup>166)</sup> plura enarrantur, tamen sunt exorti de Suevia, unde Imperator Fridericus ortum habuit. Qui fuerunt tempore Salomonis regis, Ladislai et Geychae: nam tunc ipsa generatio in duas partes divisa fuit: quidam ducibus adhaerentes, quidam Salomoni, et specialiter Wid, quem Salomon exaltasse perhibetur super alios in generatione sua, *cuius curia et mansio fuit in Wuziasloka.*

<sup>160)</sup> Cod. habet comitatibus.

<sup>161)</sup> Cod. habet Wechelinus.

<sup>162)</sup> Cod. habet Kaak.

<sup>163)</sup> Cod. habet Paznad.

<sup>164)</sup> Kézai habet Betse; Chr. Vienn. et Dubn.: Berso; Chr. Bud.: Gerse; Turócius: Merse.

<sup>165)</sup> Bud. et Tur. Corves scribunt.

<sup>166)</sup> Cod.: Gunkelad.

Generationem vero Ratoldi <sup>167)</sup> de Apulia exivisse nullus debet dubitare. Fuerunt tempore Colomani Regis, filii Geychae Regis.

Hermani etiam generatio cum regina Kysla in Pannoniam introivit.

Generatio vero Wuzad per Regem Stephanum, filium secundi Welae, introduceitur in Hungariam. Ex isto origo procedit Wusabani, et exinde Hoholtbani <sup>168)</sup>.

Communitas itaque Hungarorum cum suis capitaneis haec et alia huiusmodi usque ad tempora Toxun Ducis gessisse perhibetur.

Porro Toxun genuit Geycham et Michaelem. Michael vero genuit Calvum Latislaumi et Wazul. Geycha divino prae-monitus oraculo, genuit Sanctum Stephanum ex Sarolt, filia Gyula, anno dominicae incarnationis D. CCCCXLIX <sup>169)</sup>. At Rex Stephanus plures genuit filios, sed inter alios genuit Emericum, Deo et hominibus amabilem. Hic autem per divini consilii iudicium raptus est de medio.

Sanctus autem Rex Stephanus in adolescentia sua contra Cuppan ducem Simigiensem forte bellum commisit, et gloriosum. Erat enim Cuppan filius Calvi Zirind, et eodem praecilio Wenthelinus Cuppan ducem interfecit, cuius corpus in quatuor partes est divisum. Nam universum populum in provincia Cuppan ducis degentem, decimas liberorum, frugum ac portarum suarum coenobio Sancti Martini Sanctus Rex perpetuo dare decrevit.

Post hoc Beatus Stephanus bellum gessit anno Domini MII. contra Gulam, avunculum suum, qui tunc ultra totius

<sup>167)</sup> Cod.: Batoldi.

<sup>168)</sup> *Chron. Vienn., Bud., Dubn. et Tur.* scribunt: Hadolth, Hodolth.

— Ceterum chronographus noster, exmissis rebus, quas hungari sub ducibus Zsolta et Taksony gesserunt, quasque alia chronica enarrant, protinus ad Geysam transilit.

<sup>169)</sup> Hic librarius loco litterae D (quingenta) perperam „Dni“ scripsit. — Ceterum *Chr. Vienn.* literis exscriptum habet annum nongentesimum sexagesimum nonum; corrige itaque: DCCCCLXIX.

Silvam regni <sup>170)</sup> gubernacula possidebat; et ipsum Gulam cum uxore et duobus filiis captum in Hungariam misit. Hoc ideo, quia pluries a Beato Stephano amoniti ad fidem Christianam (non) sunt conversi, et ipsum regnum Erdewel Monarchiae Vngariae adiunxit.

Post hoc movit exercitum super ducem Kaan Wlgarorum et Scavorum, quem devicit, et occidit, et locavit ibi pravum suum nomine Zoltan, et inaestinabilem copiam thesaurorum eius, praecipue in auro et gemmis ac preciosis lapidibus, accepit. Ex hac itaque gaza Sanctus Stephanus albensem basilicam, quam ipse fundaverat, plurimum ditavit. Et quia pecunia illius Gulae et Gan fuit male acquisita, ideo ipsa Ecclesia patitur incendium, et etiam de thesauro dicti Kan <sup>171)</sup> fundavit Ecclesiam in honore apostolorum Petri et Pauli in Sicambria: sed perficere non potuit. Perfecit autem Sanctus Rex Ladislaus.

Cum Beatus Stephanus post mortem Sancti Emirici nimium se vidisset infirmum, misit festinanter Wudam, filium Egeruh, qui Wazul patruelis sui filium <sup>172)</sup>, quem incluserat Rex propter iuvenilem lasciviam, ut corrigetur, de carcere Nitriae educeret, ut eum, antequam moreretur, regem constitueret. Audiens autem hoc Kesla, consilium cum Wuda iniit, et festinanter nuncium nomine Sebus, ipsius Wuda filium, ad carcerem, ubi Wazul detenebatur, misit, qui praeveniens nuncium Regis, effodit oculos Wazui, et concavitatem aurium eius plumbo obturavit, et recessit in Bohemiam. Post hunc autem venit nuncius regis, Wazul oculis orbatum in eiusdem vulneribus duxit ad Regem. Quem Sanctus Rex videns tam miscrabiliter destructum, fletum continere non potuit, sed in praedictae aegritudinis molestia debitam poenam malefactoribus inferre non potuit.

<sup>170)</sup> Turbatum verborum ordinem iuxta Chr. Vienn. sic restitue: totius *ultra silvam regni*.

<sup>171)</sup> In hac paragraphe Kaan, Gan et Kan erronee sunt scripta pro Kean.

<sup>172)</sup> Sic Chr. Vienn. Noster Cod.: patruelum sui filii habet.

Beatus autem Rex Stephanus sanctitate et gratia plenus XLVI. anno regni sui a praesenti seculo nequam eripitur, et in Alba ecciam tumulatur.

At Regina Keysla cum Wuda Petrum Alemannum, fratrem Reginac, regem praeficere statuerunt.

Anno ergo regni Petri tertio principes Hungarorum consilio episcoporum convenerunt adversus Petrum Regem, quaerabantque sollicite, si aliquem de regali progenie invenire potuissem in regno, qui ad gubernandum regnum contra saevitiam Petri esset idoneus. Cumque alium non invenissent, de se ipsis Albam sororium Sancti Stephani super se regem elegerant.

Qui post hoc inter Hungaros crudeliter agebat, pro quo suo facto beatus Gerhardus episcopus Canadiensis canonica severitate corripuit, et sibi periculum imminere praedixit.

Ad ultimum, circa Tysam, ab hungaris, quibus nocuerat, crudeliter iugulabatur, et sepultus est in suo proprio monasterio in Sarus.

Interim Petrus Rex totam Hungariam tam magnis afflxit angustiis, ut magis<sup>173)</sup> eligerent mori, quam ita miserabiliter vivere.

Tunc nobiles Hungari in Canad convenerunt, consilioque habito, totius Hungariae numerum miserunt in Rusiam ad Andream et Leventha, filios Calvi Latislai, qui ex consilio Sancti Stephani Regis exierant Hungaria; dicentes eis, quod totalis Hungaria eos fideliter exspectaret, et universum regnum eis, sicut regali semini, libenter obsequeretur, tantum eos a furore Thracianorum liberarent.

Petrus autem Rex videns Hungaros unanimiter adhaesisse ducibus, qui prae nimio dolore fugam iniit versus Musum<sup>174)</sup>, praeconscens se non posse evadere manus ducum, se dedit captivare. Qui statim fuit obcoecatus, et Albam ductus, qui prae nimio dolore vitam in brevi finivit. Sepultus etiam est Quinte-Ecclesiis in basilica, quam fundaverat.

<sup>173)</sup> Cod. habet: magna.

<sup>174)</sup> (Moson). Cod. habet: Munsun.

Porro Dux Andreas anno Domini MXLVII. coronatus est, qui postea per Hungaros in porta Musum captus est, et negligenter detentus, in Silva Wukon mortuus est, et sepultus in Tyhon iuxta lacum Walatum, eum suo filio David.

Post hoc Dux Wela coronatur. Tenuit autem regnum pacifice, et quaesivit bona genti suae. Qui mortuus est, et sepultus in loco, qui dicitur Zukard<sup>175)</sup>.

Post hoc regnavit Salomon. Tempore eius pagani a superiore parte Mezes provinciam Nyr usque civitatem Wihar devastarunt. Rex vero Salomon, animositatis audacia quasi reptando ad paganos ascendit, qui super eum sagittarum imberes effundebant. Dux autem Geycha sagittis irruit super Cunos; cuius frater Latislaus ex fortissimis paganorum primo impetu quatuor interfecit, et a quinto per sagittam graviter est vulneratus, sed Divina miseratione cito est curatus. Vedit denique Beatus Latislaus Dux unum paganorum, qui super dorsum equi sui ducebat unam puellam hungaram speciosam. Sanctus ergo Dux Latislaus (putans) illam esse filiam varadiensis Episcopi, *videlicet Kunves Colomani*<sup>176)</sup>; et quamvis esset vulneratus, tamen illum celerrime persecutus. Clamavit itaque Sanctus Latislaus: Soror speciosa! accipe Cunum in cingulo, et iacta te in terram. Quod et fecit. Cum in terra iacentem voluit interficere, quem puer valde rogavit, ne illum interficeret; unde per hoc notatur, quod in mulieribus fides non est. Sed postea interfecit. Rex ergo, et gloriosi duces, fere omnibus paganis interfectis, et omnibus Christianis a captivitate liberatis, cum triumpho victoriae gaudentes redierunt.

Factum autem est tertio anno post adventum Cumano-rum: Bisseni, per Albam Wulgaricam venientes, transnataverunt flumen Zawa, in campum Wizias, et non modicam gentem captivorum diripientes, in suam terram abduxerunt. Rex autem et duces imposuerunt crimen traditionis Albae Wulgariae, eo, quod pace defraudata voluntarie permisisset latrun-

<sup>175)</sup> Lege: Zug Zard, prouincia: Szögszárd.

<sup>176)</sup> Interpolatio haec, alioquin absurda, nostro propria esse videatur, cum illam nullum e ceteris chronicis habeat.

culos Bissenorum depraedare Hungariam. Collectis itaque exercitibus, Rex in Nandur Weruar<sup>177)</sup> Zavam transiverat. Graeci autem et Wulgari simul contra Hungaros tenebant<sup>178)</sup>, sed post fugam Graecorum et Nikocha dueis, Hungari civitatem obsederunt, et innumerabilem pecuniam exhauserunt. Multo magis Graeci et Wulgari contidebant de lenitate Geychae, quam de Salomone: ad manus Regis Salomonis panici confidebant, quod noverant ipsum esse austерum et pessimis consiliis Wid auscultantem. Haec ergo fuit causa discordiae inter eos.

Qui quidem Rex Salomon per duos duces devictus fuit, et fugit ante eos in Posonium.

Post fugam vero Salomonis Geycha Dux, compellentibus Hungaris, coronatus. Qui post coronationem fundavit Ecclesiam Wachensem, et post multa bella (in) gravem infirmitatem incidit, et mortuus, Wacieque tumulatus est.

Audita vero morte Geychae Regis, convenit universa multitudo Hungariae<sup>179)</sup>, communi consensu Latizlann ad gubernationem regni elegerunt.

Ipse primus Dalmatiam et Croachiam suae monarchiae perpetuo subiugavit. Cum enim Rex Zolomerus<sup>180)</sup> sine liberis decessisset, eius uxor, Regis soror Latizlai, ab inimicis viri sui multis iniuriis praegravata, auxilium sui fratris Latizlai Regis in nomine Ihesu Christi postulavit. Cuius iniurias Rex graviter vindicavit, et Croachiam atque Dalmatiam sibi restituit. Quam propterea praedieta Regina subdidit Dominio, quod secundum iustitiam legalem sibi competitbat haereditas.

Post hoc autem Rex Latizlaus deprehendit furibundum Salomonem, et captum misit in Wisograd in careerem. Sed postmodum dimissus est de careerre in elevatione corporum Sancti Stephani Regis et beati Emerici confessoris.

<sup>177)</sup> Perperam pro: Nandorfeyerwar *Chron. Vienn.*, Nandurfeyruar *Bud.*, Nandorfeyruar *Dubn.*, nandorfeyerwar *Turáci*.

<sup>178)</sup> Lege: tendebant.

<sup>179)</sup> Cod.: *multitudo hungarie multitudo*.

<sup>180)</sup> *Chr. Vienn.*, et cum hoc *Turácius*, aeque Zolomerum habent, *Chr. Bud.* et *Dubn.*: *Zolomerum*.

Post multos vero labores et pugnas migravit ex hoc seculo ad Dominum, et sepultus est Polae in civitate Xystriae.

Post cuius obitum Sanctus Rex Latizlaus regnavit XIX annis, et tribus mensibus, et tribus diebus. Migravit ad Dominum MXC. nono Kal. Augusti; cuius sanctissimum corpus Waradini devotissime veneratur.

Post ipsum regnavit Colomanus, filius Geycha Regis. In eius temporibus mala sunt multa perpetrata. Ipse enim Wela, filium Ducis Almus, adhuc infantem, ex quorundam consilio tractum de matris gremio, excoecavit, ut non sit dignus portare coronam sancti regis. Iste Colomanus fuit episcopus warathiensis; sed quia fratres, quos habebat, morte sunt praeventi, ideo summo Pontifice cum eo dispensante regnare compellitur. Qui ab Hungaris Kunves Calaman appellatur, eo quod libros habebat, in quibus horas canonicas, ut episcopus, persolvebat.

Regnavit autem annis XVIII, mensibus sex. Migravit ex hoc seculo anno Domini MCXIII, cuius corpus Albae quiescit.

Cui successit Stephanus filius eius, qui regnavit annis decem, et mortuus est anno Domini MCXXXI, cuius corpus Waradini quiescit.

Post ipsum regnavit coecus Wela. Crevit itaque puer coecus regnante Stephano, filio Colomani regis, et mortuo ipso coronatur. Et genuit quatuor filios: Geychain, Latizlaum, Stephanum, et Almum.

Cuius uxor, nomine Helena, habito consilio Regis, illos, quorum consilio fuerat obcoecatus, iuxta Arad crudeliter fecit detruncari.

Regnavit igitur ipse Wela coecus IX annis, et mortuus est anno Domini MCXLl., et corpus eius Albae requiescit.

Regnavit autem post eum Geycha, filius eius, annis XX., mensibus tribus, et mortuus est, et requiescit Albae Regali <sup>181)</sup>.

---

<sup>181)</sup>) Hic librarius memoriam regum Steph. III., Ladislai II. et Steph. IV. incuria praeterivit.

Postea regnavit Wela, filius <sup>182)</sup> eius, XX annis, et mortuus est MCXCIX.

Cui successit Emericus filius eius, et regnavit annis VIII. Huius uxor Domina Constantia, filia regis Aragoniae. Mortuus est anno Domini MCC. Corpus eius requiescit in Ecclesia Agrigensi <sup>183)</sup>. Post hoc regnavit filius . . . <sup>184)</sup>

<sup>185)</sup> Endre filius Welae, filii Geychae, filii coeci Calmani <sup>186)</sup>. Cuius uxor fuit Domina Gertrud de Almania, de qua genuit Welam, Colomanum, Andream, et beatam Elizabeth. Sed proh dolor humani generis inimico procul dubio (suadente), uxorem Wankbani, magnifici principis, domina memorata vi tradidit euidam suo fratri hospiti deludendam. Quam ob causam idem Wankbanus, de genere Woer, suum gladium in Reginae sanguine miserabiliter cruentavit, et diro mucrone anno Domini MCCXII interfecit, cuius corpus in monasterio de Pylis tumulatur. Pro cuius nece in omni genere Wankbani execrabilis et orrenda est sanguinis effusio subsecuta.

Post hoc Rex <sup>187)</sup> Endre terram sanctam visitavit, ad mandatum Domini Papae implens votum patris sui. Mansit autem ibidem tribus mensibus.

Regali denique thesauro exposito, diversorum sanctorum reliquiae per ipsum comparantur.

Transactis itaque IX annis, Rex gloriosam suam filiam Elizabeth nobili viro Ludwico Turingiae Landgravio in Christo copulavit.

Migravit autem Rex Endre anno Domini MCCXXXV., XXX. anno regni sui. Cuius corpus in monasterio Abbatum de Egres iuxta fluvium Morus requiescit <sup>188)</sup>.

<sup>182)</sup> Corrigi: *frater* eius, nempe Stephani III., qui Belam hunc III. in regimine praecessit.

<sup>183)</sup> Lege: Agriensi.

<sup>184)</sup> Desunt iterum, quae chronica de Ladislao III., filio Emerici regis, habent.

<sup>185)</sup> Supple e ceteris: *Huic* successit.

<sup>186)</sup> Corrigi: Belae.

<sup>187)</sup> Cod.: regnavit.

Rex Wela filius eius post eum coronatus est in cathedrali Ecclesia beati Petri in Alba, quam ipse consecrari fecit, Colomano<sup>189)</sup> Duce, fratre eiusdem ensem regalem ad latus eius honorifice tenente<sup>190)</sup>, Daniele vero duce Ruthenorum<sup>191)</sup> equum suum ante ipsun summa cum reverentia ducente.

Tempore autem istius Welae Regis anno Domini MCCXLI. Tatari cum quinquecentis milibus regnum Hungariae invaserunt, contra quos Wela Rex, iuxta fluvium Seo<sup>192)</sup> prope villam Muhi praelians, vincitur. In quo praelio mortuus est Ugrinus Archiepiscopus de genere Kaak, et<sup>193)</sup> fere extinguitur militia Hungariae universa. Ipse vero Wela Rex ad mare fugam fecit, et Tartari usque ad insulam Raab vocatam<sup>194)</sup> ipsum sunt inseuti: *Colomanus vero Regis frater lethaliter vulneratus, in sua fuga viam universae carnis est ingressus. Cuius corpus tumulatur in villa Yvanth in Ecclesia Weginarum*<sup>195)</sup>. Manserunt enim ipsi Tartari in Hungaria tribus annis, et quia seminare non poterant Hungari, ideo multo plures post exitum illorum fame perierunt, quam in captivitatem ducti sunt et gladio ceciderunt.

Post haec anno Domini MCCXL<sup>196)</sup> congregavit exercitum contra Ottogarum Regem Bohemiae circa Moraviam, cum

<sup>188)</sup> Ita narrat etiam *Chr. Vienn.*, et post hoc *Turócius*. Secundum *Bud.* eius „corpus Varadini, ad pedes Sancti Ladislai requiescit.“ *Dubn.* hoc posterius sequitur, addita tamen variante lectione, nostro chronico congrua, adnotatque ad marginem: „scilicet in altero libro sic reperitur.“

<sup>189)</sup> Hoc loco sigla R apparere in MS., quam cel. *Pray „Sclavoniae“* interpretatur. Sed invenitur talis aliis etiam locis, quin ullam probabilem significationem referat.

<sup>190)</sup> Cod. perperam scribit: tenentem.

<sup>191)</sup> Videtur fuisse stabulo praefectus: nam in libro rationum Ludovici II. equorum servi passim Rutheni appellantur. *Nota cl. Pray.*

<sup>192)</sup> Sic scribunt *Chr. Vienn.* et *Tur.* E contra *Kézai*, *Bud.* et *Dubn.* hodierna pronúnciatione: Sayo. (Cod. noster male: See).

<sup>193)</sup> Cod. qe cum signo compendii.

<sup>194)</sup> Cod. vocate.

<sup>195)</sup> Lege: Beginarum, sub quibus moniales S. Dominici intelligendae.

<sup>196)</sup> Lapsu transcriptoris, loco MCCLX.

filio suo Stephano Duce, et Alua duce Cumanorum : sed vietus fuit circa Haymburg. Erat enim vir pacificus, non fortunatus.

Ipsius etiam tempore, anno Domini MCCLXIII <sup>197)</sup> plebs flagellis se feriendo, universe discurrebant.

Obiit autem anno Domini MCCLXX, feria sexta in festo inventionis Sanctae Crucis, in insula Wudensi, et sepultus est Strigonii apud fratres minores in Ecclesia Beatae Virginis, quam aedificare ipse inchoaverat, cum consorte sua Maria nomine, Imperatoris filia (Graecorum <sup>198)</sup>), et duce Wela, suo filio, feliciter requiescunt. In qua ecclesia etiam nunc Domina Agatha, cuius ossa de Sancto Yrineo de Ecclesia fratrum minorum contumularunt, requiescit. Cuius quidem corpus Welae Regis Philippus archiepiscopus strigoniensis in ecclesia memorata auferri exhumando fecerat contra iura, et in sua kathedrali Ecclesia indebitate tumulari. Super quo facto coram summō Pontifice causa diu ventilata, fratres minores cum honore maximo rehabere meruerunt.

Post ipsum anno Domini MCCLXX. cepit regnare Stephanus filius eius, qui Ottogarum Regem Bohemorum, cum diversis nationibus in Hungariam venientein, ad fluvium Rabcha <sup>199)</sup> devicit viriliter, et fugavit. Postea Wuden <sup>200)</sup>, civitatem wulgarorum, et wulgaros superans, regem eorum sibi compulit deservire. Regnavit autem duobus annis, et mortuus est in magna insula, et sepultus est in ecclesia Beatae Virginis in insula Wudensi, in loco beginarum.

Cui successit Ladizlaus filius eius, et coronatus est eodem anno, quo mortuus est pater eius, videlicet anno Domini MCCLXXII. Qui Rex Ladizlaus anno Domini MCCLXXVI. imperatore <sup>201)</sup> adiuvante, circa Moraviam occidit Regem Ottogarum supradictum in praelio.

<sup>197)</sup> Corrige : MCCLXIII.

<sup>198)</sup> Cod. erronee Gregori scribit.

<sup>199)</sup> Cod. erronee Babcha scribit.

<sup>200)</sup> Vtpote Widdin, Hungaria Bödön.

<sup>201)</sup> Addidit manus aliena : sire Rudolfo duoe austrie primo Comite domus Habsburgice.

Postea anno Domini MCCLXXXII<sup>202)</sup> Oldamyr dux Cumaniae, congregato exercitu Cumanorum circa lacum Hoold vocatum, volens hostiliter invadere regnum Hungarorum, ut suo dominio subiugaret: contra quem Rex Ladizlaus, ut fortis Iosue pro gente sua pugnaturus, accessit. In cuius exercitu Lorandus filius Thoma, miles strenuus, contra Cumanos lanceavit, cum impetu plurimos percussit et prostravit. Postea cum praeium committeretur inter partes, subito ex divina clementia pluvia grandis exoritur contra faciem paganorum, et qui in arcubus sperabant, et sagittis, propter imbrium densitatem iuxta propheticum facti sunt ut stercus terrae. Et sic Rex Ladizlaus victoriam obtinuit divino fretus auxilio.

Tandein postea pauci, qui ex ipsis remanserant, ad Tartaros fugierunt, quorum instinetu Tartari anno Domini MCCLXXXV secunda vice in Hungariam venerunt, et usque Pest universa miserabiliter combusserunt.

Iste enim Rex Ladizlaus filiam regis Karuli de Apulia in coniugium habebat, sed spredo thoro coningali filiabus adhaesit Cumanorum, Ayduam et Mandulam, ac alias quamplures in concubinas habebat, quarum amore cor eius est morte dampnatum<sup>203)</sup>, et a suis *jobbagionibus*<sup>204)</sup> et regni nobilibus habebatur odio. Tandem Philippus Firmanus advenit, sedis apostolicae legatus, (quia) multa contra mores Christianorum habebat, abusus emendabat, Regem etiam anatheumatis vinculo feriens, ut paganos odiret, ritum Christianorum diligenter, et thoro uteretur<sup>205)</sup> coningali. Sed nichil proficiens in Rege, repatriavit.

Post in brevi tempore ipse Rex anno Domini MCCIC<sup>206)</sup> feria secunda ante festum beatae Margarethae prope Castrum Churusug ab ipsis Cuunanis, videlicet Arbuz, Turtel, ac aliis,

<sup>202)</sup> Legendum utique : MCCLXXXII. Sic etiam habent *Chr. Vienn., Bud., Dubn. et Turócius.*

<sup>203)</sup> Apud ceteros : merito depravatum.

<sup>204)</sup> Ceteri chronographi vertunt : baronibus.

<sup>205)</sup> Cod. habet : vulz.

<sup>206)</sup> Sic Cod. loco : MCCXC.

quibus ipse adhaeserat, miserabiliter est interemptus. *Nicolam fratrem Aydua dictum iidem lethabiliter*<sup>207)</sup> *vulnerarunt.*

Tempore istius regis Latizlai cepit Hungaria deflecti, ac anichilari.

Post eius obitum eodem anno (Andreas) Dux de Venetiis coronatur, qui vivente adhuc Ladizlao Rege deductus fuerat. *Corpus autem Regis Ladizlai tumulatur Chanadini in ecclesia cathedrali*<sup>208)</sup>. Cuius quidem Andreac Regis ortum et originem videamus, qua ratione meruit coronam Hungariae accipere. Cum enim Rex Endre, pater Welae Regis et Colomani ducis, imperfecta prima uxore sua, ut superius diximus, mare ad mandatum Ecclesiae transfretasset ad terram sanctam, ibi viator existens revertebatur cum honore magno: tandem in Italiam applicuit, et quadam vice apud Marchionem Estensem magnifice hospitatus. Ille vero marchio recognoscens *Regem esse viduum, filiam suam nomine...*<sup>209)</sup>, excellenter pulchram et bene ornatam aspectui Regis fecit astare ad mensam. Rex vero videns eam pulchram et suis oculis gratiosam, cum absque hoc ducere vellet uxorem, cum eadem puella eadem die contraxit, et in Hungariam secum duxit. Mortuo vero Rege Endre, Domina ista volens redire ad suos parentes, convocatis principibus regni Hungariae, archiepiscopis et episcopis, se gravidam prole manifestis indicis monstravit, et sic est reversa in terram suam, et ibi apud patrem suum puerum masculum peperit, quem in baptismo Stephanum vocaverunt. Qui nutritus et educatus sub hoc tytulo, quod filius esse(t) Regis Hungariae. Tandem ad ultimam deveniens aetatem, voluit usurpare marchionatum dolose avi sui; sed avus suus praevalens ipsum auffugavit, et ipse Stephanus abiit fugiens in Hispaniam ad Iacobum Regem Aragoniae, qui habebat in uxorem

---

<sup>207)</sup> Corrige: lethaliter.

<sup>208)</sup> Locum hunc *Chr. Vienn.* et *Tur.* non habent; *Bud.* et *Dubn.* aptiore loco, utpote sub finem §-i praecedentis, sed ecclesia cathedrali haud commemorata.

<sup>209)</sup> Hic nomen filiae ducis Estensis incuria scribentis omissum est, seriesque orationis sic perturbata:... regem esse filiam suam viduum nomine etc.

illius sororem Stephani, filiam Regis Endre regis Hungariae. Et ibi aliquamdiu commoratus, iterum in Italiam veniens, electus est potestas a civibus in Ravenna. Inde fugatus venit Fene- cias. Ibi autem vir quidam, civis Fenetum, civitatis potior et ditior, cognoscens et sciens veraciter, hunc esse filium Regis Hungariae, tradidit sibi filiam suam in uxorem, et omnium suorum bonorum participem eum constituit. Ex illa autem Stephanus habuit filium, quem Andream, nomine patris sui, vo- cavit. Qui Andreas consilio et auxilio avunculorum suorum, qui erant infinitarum divitiarum, vivente adhuc Rege Ladizlao, in Hungariam subintravit, eo quod esset dux, quique habere deberet portionem in regno, tytulo Regis Endre avi sui. Cum autem Rex Ladizlaus fuisse occisus, a baronibus regni coro natur : qui anno secundo regni sui cum exercitu maximo Austriae debellavit.

In cuius imperio quidam magni principes regni Hungariae, videlicet : *Ugrimus filius Magistri Pous de genere Kak, Johannes, Nicolaus et Henricus Banus filii Henrici, Magister Laurentius dictus Chete cum filio suo Magistro Zlenkus*<sup>210</sup>), ac alii plures in praeiudicium Regis Andreae a Papa Bonifacio VIII. Regem petierunt. Quorum instantiam Papa admittens, quemdam puerum XI annorum nomine Karolum anno Domini MCCXCIX. vivente adhuc Andrea Rege in Hungariam destinat. Cuius Karuli generatio et origo taliter habetur : Rex Stephanus, filius Welae, habuit duas filias, Mariam, et Katherinam. *Dominam Katherinam tradidit Stephano, Regi Sclovoniae*<sup>211</sup>), Mariam vero Karulo Claudio, qui ex ordinatione Ecclesiae fuit Rex Siciliae, qui Rex Karulus Claudius ex illa filia Stephani Regis Karolum Martellum vocabulo, Karolus vero Martellus ex filia Imperatoris Rudolphi, Clementia no- mine, genuit filium , quem primum vocaverunt Karobertum, in Hungaria autem Karolum vocaverunt. Ut autem iste Karolus regnare valeret, et contra Regem Andream potestatem acci-

---

<sup>210</sup>) Cetera chronica hic pauciores nominetenus adducunt regni principes.

<sup>211</sup>) Huius regis filiam cetera chronica hic non commemorant.

pere, Papa praefatus legatos unum et alium de latere suo destinat, qui nichil agere valentes, ad propria redierunt.

Interim anno Domini MCCCI<sup>9</sup> in festo Sancti Felicis in Pincis idem Rex Andreas in castro Budensi requievit in Domino, et sepultus est in Ecclesia beati Iohannis Evangelistae, apud fratres minores.

Postea mortuo Rege Andrea barones regni (in) duas partes seindantur, ita, quod Vgrinus, Mathaeus, et Homodens, ac ceteri potiores regni Karolo puero adhaeserunt: Dominicus vero filius Stephani, Demetrius filius Nicolai, et Henricus Henrici filius cum Iohanne archiepiscopo Colocensi, aliis quibusdam episcopis, versus Bohemiam processerunt ad Regem Wenceslaum, ut regni susciperet gubernacula Hungarorum, ne regni libertatem amitterent in susceptione per Ecclesiam dati Regis. Ad ipsum autem regem Bohemiae ob hanc rationem posuerunt gressus suos, qui Rex Ottagarus, qui per Regem Ladizlaum fuit interfectus, habebat in uxorem filiam dominae Annae, filiae Welae regis, qui ex ea genuit filium nomine Wenceslaum, qui regnavit in Bohemia, patre mortuo, multis annis.

Qui Wenceslaus venire noluit, sed filium suum, ex filia Imperatoris procreatum, nomine similiter Wenceslaum, in quadam villa Godyn nomine, quo prae nominati nobiles et episcopi convenerunt, in Regem Hungarum tradidit naturalem, et ipsi confectis litterarum <sup>212)</sup> instrumentis et roboro fidei firmamento, unanimiter suscepserunt. Abhinc Te Deum laudamus cantantes, in Albam Regalem devenerunt, ubi Iohannes archiepiscopus Colociensis, cum aliis episcopis, honorifice coronaverunt. Sedes namque archiepiscopatus Strigoniensis vacabat, sed electus ipsius Ecclesiae erat Gregorius, filius Wotend, custos tunc Albensis Ecclesiae. Inde Budam venientes, ibique Iohannes archiepiscopus obdormivit in Domino, et Iacobus episcopus Zipisiensis quievit in pace. Quorum corpora tumulantur in Ecclesia Sancti Iohannis Evangelistae apud fratres minores.

Postea Rege iam dicto, quem in Hungaria Ladizlaum

---

<sup>212)</sup> In cod habetur: litterarum.

vocabant, in Buda degente, nullum castrum, nullum ius regale conferuntur.

Rex Wencezlaus pater eius considerans paleatas versacias *et non sanam partem* Hungarorum, anno Domini MCCCCIII. cum multitudine exercitus Pannionam est ingressus, et Ladizlaum filium suum cum corona regni accipiens, et Ladizlaum filium Wernali, et alios eives burgenses non nobiles capiens, in suum regnum revertitur in pace.

Eodem tempore frater Nicolaus de ordine fratrum prae-dicatorum, tunc hostiensis<sup>213)</sup> *et welletrensis*, apostolicae sedis legatus, pro Karolo Rege in Hungariam venit. Qui Wudae residendo diebus plurinis, videns se nichil proficere, reversus est in Curiam, et ibi mortuo Bonifacio Papa VIII. in summum pontificem electus et creatus, et Benedictus appellatus.

Interim vero filii Henrici, et quidam alii minus nobiles, (qui) per filium Regis Bohemiac proficere non valuerunt, Ottонem ducem Bavariae subintroduceunt in regnum Hungariae, qui coronam regni a Wenceslao ablatam secum ferens anno Domini MCCCCV. Albain Regalem petuit, et ibi coronatur in regem. Qui in brevi in Transsilvanis partibus cum Weka, filio Thomae, venit, ubi Ladislaus Boyvoda ipsum captivavit, et in castro suo tenuit multis diebus. *Et postea idem Ladislaus Boyvoda Ottонem Duce Magistro Wogrino, p[re]e omnibus faventi Karolo regi, in Zegedino tradidit ad suum libitum*, qui postmodum dictum Ottонem Duce de regno expulerunt.

Cum ergo Carolus Rex Budue moraretur, nec haberet aliud de iure regali praeter Pazaya-var cum suis pertinentiis, quod castrum restituerat sibi Wogrinus conservator suus; frater Gentilis tituli Sancti Martini in montibus presbyter Cardinalis, de ordine fratrum minorum, ex auctoritate summi pontificis, anno D. MCCCCIX. pro rege Carolo in Hungariam venit, qui multos barones et nobiles, et specialiter Ladizlaum Woyvodam pro corona regni, quam de Ottone Duce abstulerat, anathematis vinculo innodavit.

---

<sup>213)</sup> Supple e Vienn. et ceteris : *episcopus hostiensis et cardinalis.*

Anno Domini MCCCCXII. cum Rex Karolus regale castrum Sarus vocatum, a Demetrio Nicolai filio ex mandato Mathaei de Drinkum<sup>214)</sup> possessum, suis viribus obsederet; idem Mathaeus omnes suos milites, quos potuit, contra Regem Karolum in adiutorium Demetrii destinavit, ut ipsum Regem de suo castro pelleret praepotenter. Quorum adventum Rex audiens, putavit se non posse resistere, in Zepus se recepit, et inde cum equitibus et peditibus egrediens, circa fluvium Harnald<sup>215)</sup> cum exercitu Mathaei in pugnam devenit, quos viriliter devineens, multos ex eis interfecit. Demetrius vero, et Aba de Sempete, ac duo filii Omodei, debita persolverunt. Ex parte autem Regis decesserunt: videlicet Magister Kobos filius Or<sup>216)</sup>, filius Wagon<sup>217)</sup>, Ladizlaus filius Thomae, Iacobus filius Aladarii, Michael filius Petri, Gurka et Michahel filii Gurka, et alii multi praeclari nobiles Hungariae sub vexillo Regis corruerunt, se interempto Gurk vexillario Regis, et Rex, illo<sup>218)</sup> cadente, sub vexillo cruciferorum pugnaverat, et Dei gratia victoriam obtinuerat.

Anno Domini MCCCCXVI.<sup>219)</sup> Domina Maria, prima consors domini Regis, natione Polona, tertia die post festum Sanctae Luciae, in Tunuswar vitam praesentem feliciter terminavit. In Alba Regali est sepulta.

Anno Domini MCCCCXVIII. accepit Rex Dominam Beatricem, filiam Regis Romanorum, sororem Regis Bohemorum, quae in revolutione eiusdem anni obdormivit in Domino, et Waradini in Ecclesia kathedrali tumulatur. *Eodem anno Rex habuit filium de cunibina sua, quem acceperat de magna insula Danubii, quem appellavit Colomanum. Secundo anno mortuus est Mathaeus Palatinus.*

<sup>214)</sup> Vtique legendum cum *Venn.*: Trinchin.

<sup>215)</sup> Nempe: Hornát seu Hernát. Cod. Garnald seribit.

<sup>216)</sup> Corrige e *Chr. Venn.* et ceteris: *Kokos*, filius Stephani dicti *porch.*

<sup>217)</sup> Supplendum videtur: *Stephanus* filius *Bagon*. Ceteri, fors minus recte, *Bagen* habent.

<sup>218)</sup> Codex hic vocem *rege* inserit, inepit omnino.

<sup>219)</sup> *Venn.*, et cum hoc *Turócius*, habet annum MCCCCXV.: *Bud.* et cum hoc *Dubn.*: MCCCCXVII.

Anno Domini MCCCXX. accepit Rex filiam Ladizlai Polonorum, Elizabeth nomine, de qua anno Domini MCCCXXI. filium habuit, qui eodem anno mortuus est, et Albae sepultus.

Anno Domini MCCCXXIII. in Wissagarad in festo Sancti Remigii de eadem regina habuit filium nomine Ladizlaum.

Anno Domini MCCCXXV. incheavit Dominus Rex fratribus minoribus aedificare Ecclesiam in Lipva ad honorem beati Loys. novi sancti Episcopi Tholosoni, qui fuit frater carnalis patris sui, scilicet primogenitus Karoli Regis Siciliae, filius Mariae Reginae, filiae Stephani Hungarorum Regis, filii Welae III-tii.

Anno Domini MCCCXXVI. natus est eidem Regi filius, quem nomine consanguinei sui Loys appellavit.

Anno Domini MCCCXXVIII<sup>220)</sup> feria quarta ante Dominicam Palmiarum Ecclesia Beatae Virginis de Alba Regali, quamvis plumbo tecta fuisset contra incendium, flebiliter est combusta, uno campanali excepto, quod est supra saeristiam, ubi sanctorum reliquiae conservantur, quod nemo dubitat eorum meritis remansisse.

Anno Domini MCCCXXX. feria sexta ante festum beati Martini in terra Wazarad Karolus Rex fraudulenter est devictus, et multi Hungarorum barones et nobiles, inter quos Andrea(s) praepositus Albensis, miserabiliter sunt interempti.

(Explicit) Chronica Regni Hungariae.

---

<sup>220)</sup> Omnes alii annum MCCCXXVII. habent.

---

III.

GENEALOGIA

REGVM ATQVE DVCVM HVNG.

AB A. CCCCXVII VSQ. MDLVI.

---



## GENEALOGIA, AC NOMINA REGVM ATQVE DVCVM HVNGARIAE.

*Primus ingressus Hunnorum* de Seythia in Daciam et Pannoniam sub sex capitaneis, A. D. Quadragesimo decimo septimo. Primus Capitaneus Ethele, Secundus Kewe, tertius Buda, quartus Bela, quintus Kewe, sextus Chadycha. Anno Domini Quadragesimo quadragesimo quinto Attila electus fuit in regem. Aladar filius Atilae, Chyaba alter filius, qui post obitum Atilae ex Hungaria redierunt in Seythiam.

*Secundus ingressus Hungarorum* in Pannoniam sub septem Capitaneis A.D. Septingentesimo quadragesimo quarto,<sup>1)</sup> a morte vero Regis Atilae CCC primo<sup>2)</sup>. Primus Capitaneus fuit Arpad, filius Almus, filii Elenad, filii Ugeg; secundus Capitaneus fuit Zabolch, tertius Gyla, quartus Kwnd, quintus Beel, sextus Werbulcho, Septimus Urs.

*Appad Dux*, filius Almus, qui Almus fuit filius Elewd, filii Ugeg, filii Edemen, filii Kyaba, filii Atilae. Hic Arpad genuit Zoltan, *Dux Zoltan* genuit Taxon, *Dux Taxson* genuit Gyesam et Michael, Michael genuit Ladislaus Calvum et Wzwl, Ladislaus Calvus genuit Andream, Belam et Lewenthalam.

*Geysa Dux* primogenitus Ducis Taxson, genuit Sanctum Regem Stephanum Anno Domini nongentesimo sexagesimo nono. Hic Geysa primus inter Hungaros Christianus factus, dicitur esse baptisatus a beato Adalberto Episcopo.

*Sanctus Stephanus*, filius Geyzac Ducis, primus Rex

<sup>1)</sup> Cod. habuit: *sexagesimo septimo, sed numerus hic deletus ist.*

<sup>2)</sup> Manus, quae priorem annum delevit, videtur hic interscruisse haec: „In chronica habetur: *quadragesimo quarto.*

Hungarorum, coronatus anno Domini millesimo primo. Hujus filius *Sanctus Emericus* decessit ante patrem in virginitate permansus, et ascriptus catalogo Sanctorum. Ipse vero S. Stephanus obiit A. D. millesimo quadragesimo septimo <sup>3)</sup>. Regnavitque annis XLVI. Sepultus Albae Regali.

*Petrus Alamanus*, filius Vylhelmi ex sorore Sancti Stephani progenitus. Post ipsum Sanctum Stephanum regnavit in toto annis sex.

*Aba Banus*, Sororius S. Stephani, tempore Petri Theutonici expulsi vivente eo electus fuit in Regem et coronatus, et regnavit tribus annis, et postea occisus, sepultusque est in Monasterio de Saar A. D. millesimo quadringentesimo (sic) tertio. Ipso tandem Aba occiso, Petrus iterum introducitur per Henricum Imperatorem, ac de novo coronatur, deinde occiditur, et in Ecclesia Quinqueecclesiensi sepultus est.

*Andreas Albus*, primogenitus Ladislai Calvi, post Petrum Theutonicum prius expulsum, et deinde occiso Rege Aba pessimō tyranno reductum in Hungariam ac denum interemptum. Regnavit annis XV. et genuit duos filios, Salamonem videlicet et David. Occisus est autem A. D. millesimo sexagesimo nono, sepultus in Thykomo.

*Bela Belin* dictus, frater Andreae Albi, post Andream regnavit tribus annis, qui genuit tres filios, duos in Polonia, Geysam videlicet et Ladislaum, tertium vero, reversus in Hungariam, scilicet Lampertuum. Obiit autem A. D. millesimo separagesimo primo, sepultus in Ecclesia Sexard, quam ipse fecit.

*Salamon* filius Andreac Albi. Post obitum Belae primi regnavit XI annis. De anno obitus sui ignoratur, quia expulsus dicitur fuisse. Mortuus in Austria vel Stiria. Intraverat autem Religionem tempore Sancti Regis Ladislai.

*Geysa* primogenitus Belae, Bela adhuc vivente, Salamone expulso (antea erat expulsus) regnavit tribus annis, et genuit duos filios, Colomannum et Almum. Obiit autem A. D. millesimo octogesimo, sepultus in Ecclesia Vaciensi.

*Sanctus Rex Ladislauus* filius Belae primi successit Geysa, et regnavit annis XIX, et decessit sine liberis A. D. millesimo nonagesimo sexto, et quiescit in templo Varadiensi.

<sup>3)</sup> Correctum alia manu: tricesimo octavo; in margine habetur :sexto.

*Colomanus* filius Geysae, filii Belae primi, successit Sancto Ladislao Regi, et regnavit annis XVIII, mensibus VI. diebus V. Hic dicitur fuisse primus Episcopus Varadiensis, sed per dispensationem apostolicam inde fuit eductus atque coronatus in Regem. Ipse excoccauit Almum Duceum et filium eius Belam, genuitque duos filios: Ladislaum et Stephanum. Obiit autem a. D. M. centesimo decimo quarto, sepultus est in Alba Regali.

*Stephanus secundus* filius ipsius Colomani successit, et regnavit annis XVIII, ac decessit sine haerede a. D. M. centesimo trigesimo primo, atque sepultus dicitur esse in templo Varadiensi.

*Bela secundus* coecus, filius Almus, filii Lamperti qui fuit filius Belae primi, post Stephanum adeptus est regnum, et regnavit annis 9, mensibus XI, diebus 12, et genuit quatuor filios: Geysam, Ladislaum, Stephanum et Almum. Obiit autem anno D. centesimo quadragesimo primo, sepultus in Alba Regali.

*Geysa secundus* filius ac primogenitus ipsius Belae cocci successit Belae coeco, et regnavit annis XX, et mensibus tribus, diebus vero XV, et genuit filios quatuor: Stephanum, Belam, Arpad et Geysam; obiit anno D. M. C. mo sexagesimo primo. In Alba Regali dicitur esse sepultus.

*Stephanus tertius* filius ipsius Geysae, post Geysam regnavit annis XI, mensibus novem, diebus tribus; decessit sine haerede anno M. C. septuagesimo tertio. Dicitur sepultus esse in Alba Regali.

*Stephanus quartus* frater ipsius Ladislai, filius Belae cocci, mortuo ipso Ladislao, sed adhuc etiam ipso Rege Stephano vivente, modo simili usurpavit sibi coronam, et regnavit mensibus V. Isti ambo fratres per Lucam Strigoniensem archiepiscopum fuerunt excommunicati, et periculum eis citissime futurum, eo quod sese illegitime fecerunt coronari, praedixerat. Obiit anno M. C. septuagesimo tertio; in Alba quiescit conditus.

*Bela tertius* filius Geysae secundi, post Stephanum tertium successit, et regnavit annis XXII, mense uno, diebus IX; et genuit duos filios: Enericum et Andream. Obiit anno M. centesimo nonagesimo sexto, sepultus est in Alba Regali.

*Emericus* filius Belae tertii, successit patri, et regnavit annis VIII, mensibus septem, diebus sex; et genuit filium Ladislaum. Obiit anno D. M. CC. quarto. Dicitur esse sepultus in templo Agriensi.

*Ladislaus tertius* filius eiusdem Emerici, successit in regnum, et regnavit mensibus sex et duobus diebus, decessit sine haerede in fine eiusdem anni, quo pater eius mortuus est. (In) Alba dicitur esse (sepultus).

*Andreas secundus* filius tertii Belae, successit in regnum, et regnavit annis XXXIII, et genuit filios Belam, Colomannum, Andream, et filiam sanctam Elizabeth, et hos de prima uxore; de secunda vero uxore, filia videlicet Marchionis (Estensis<sup>4</sup>) genuit Stephanum patrem Andreac tertii, qui de Venetiis dicitur, quia idem Stephanus ipsum Andream generat ex filia eiusdem civis venetensis. Obiit autem anno M. CC. tricesimo quarto, sepultus in templo Varadiensi.

*Bela quartus* post obitum Andreae secundi patris sui regnavit annis XXXIII, et mensibus VII, genuitque duos filios, Stephanum et Belam. Huius tempore Tartari totam Hungariam devastaverunt. Obiit anno M. CC. septuagesimo, sepultus Strigoni apud fratres minores.

*Stephanus quintus* filius Belae quarti, successit, et regnavit annis duobus. Genuit filium Ladislaum et filiam Mariam, quae fuit data in Matrimonium Karolo claudio regi Siciliae, filio Karoli Magni, e qua genuit Karolum Marcellum; (qui) quidem Karolus Marcellus Karlobertum idest Karolum Rober- tum, quem Hungari vocaverunt postea simpliciter Karolum. Obiit autem a. D. M. CC. septuagesimo tertio in insula Budensi apud Sorores.

*Kun Ladislaus sextus*, filius Stephani quinti, regnavit annis XVII, et occisus est per quosdam famulos suos comanos, et decessit sine haerede, in quo deficit semen masculinum sanctorum Regum. Obiit anno M. CC. nonagesimo. Chyanadini sepultus esse dicitur.

*Andreas tertius* post suprascriptos reges primus ex parte alienigena, quem Hungari Andream de Venetiis vocaverunt,

---

<sup>4</sup>) Cod. loco: *Estensis* habet: etiam.

qui scilicet fuit nepos Andreac secundi, et regnavit annis X. Decessit sine hacrede Anno M. CCC. primo. Sepultus Budae in claustro S. Joannis apud fratres minores.

*Ladislaus septimus* aliter Venceslaus dictus, filius regis Bohemiae, inductus fuit contra Karolum puerum pronepotem Stephani quinti, filium scilicet Karoli Marcelli, pro quo mortuo ipso Andrea missus fuit, sed Karolus adhuc in tenera erat aetate, et Ladislaus regnavit tribus annis, sed propter dissensiones multas reliquit regnum et reductus fuit per patrem in Bohemiam cum maximo damno Hungarorum, et praesertim Ecclesiae Strigoniensis. Regnavit tribus annis.

*Otto*, dux Bavariae, post reductionem Venceslai sive Ladislai, inductus fuit contra Karolum per quosdam Praelatos et Barones, et coronatus, regnavit annis tribus, sed postea captus, spoliatus et expulsus fuit, et regnum devolutum fuit omnino in Karolum.

*Karolus* regnavit quatraginta duobus annis, et genuit plures filios, qui ante eum mortui sunt, postremo vero genuit Ludovicum, Andream, et Stephanum. Obiit anno M. CCC. xlij. in Alba sepultus.

*Ludovicus* filius Karoli, qui a patre sibi relictum regnum potenter et bono consilio rexit, defendit, ac ampliavit, et ad veras metas reduxit. Regnavit annis XLI. Haeredes masculinos non habuit, sed filias genuit Mariam, Helyvigel, et Katerinam. Obiit autem anno M. CCC. XLij, (sic). In Alba Regali sepultus.

*Maria* filia Karoli, post obitum eiusdem coronata fuit corona regia. Quae fuit data in matrimonium Sigismondo filio Karoli imperatoris et Regis Bohemiae, quae quidem Domina Maria regnavit quatuor forte annis, et tradidit jus suum in regno Sigismondo marito suo, consensitque se vivente eundem coronari; tandem ipsa mortua est, sepultaque in Ecclesia Varadiensi.

*Sigismundus* fuit coronatus anno vigesimo aetatis sua et regnavit in toto annis quatraginta et mensibus novem. Ille post obitum Dominae Mariae Reginae accepit in uxorem Barbaram Hermanni Comitis Ciliae filiam, ex qua genuit unicam filiam Elisabetham, quam postea tradidit in conjugem Alberto

Duci Austriae, deinde electus tuit in regem romanorum et Bohemiae, postremo coronatus est Romae in imperatorem. Obiit autem anno M.CCC. tricesimo septimo, aetatis vero suae LXXI, sepultus in templo Varadiensi.

*Albertus* Dux Austriae, gener ipsius Sigismundi Regis, post Sigismundum electus fuit in regem in favorem Elyzabeth filiae ipsius Sigismundi, uxor scilicet Alberti, et coronatus fuit in die circumcisionis Domini anno M. CCCC. tricesimo octavo, in fine octobris, et sepultus est in Alba Regali.

Mortuo Alberto Rege remansit Elyzabetha Regina prae-  
gnans; et cum ignoraret utrum filium aut filiam esset paritura,  
interim Praelati atque Barones miserunt pro Wladislao Rege Po-  
loniae, sed antequam ipse introduceretur, Regina peperit filium  
*Ladislaum*, et contradixit electioni de rege Poloniae factae, et  
coronari fecit Ladislaum puerum trimestrem = trium mensium.  
Nihilominus inductus fuit *Wladislaus* Rex Poloniae, et co-  
ronatus corona alia de capite reliquiarum Sancti Stephani  
sumpta, quibus habitis Regina Ladislaum filium suum simul cum  
corona regia tradidit ad manus Frederici Romanorum Regis et  
Ducis Austriae. Regnavit autem Wladislaus in defensione regni  
annis prope quatuor, et in bello contra Turcas juxta mare prope  
castrum Varna periit anno M. quadragesimo quadragesimo  
quarto.

*Joannes de Hunyad* Waywoda, post Wladislaum, et La-  
dislao puero in manibus Frederici Romanorum existente, et statu  
regni declinante in periculum, qui obiit in Nandor Albac anno  
M. CCCC. quinquagesimo sexto, sepultus in Ecclesia Albensi  
Transylvanicæ.

*Ladislaus* filius Alberti Regis, circa duodecimum aetatis  
suae annum creptus fuit de manibus Frederici Regis Romanorum,  
et corona Regni Hungariae nichilominus per cundem Fredericum retenta. Hic fuit juvenis probis moribus pollens, pu-  
dicus, fidelis, et pro aetate prudens, cepitque regere adhuc vi-  
vente Joanne Gubernatore, et cum esset Pragae, obiit anno  
aetatis et coronationis suae XVIII, anno MCCCCCLVIj.

*Mathias Rex*, fuit coronatus in die coenae Domini  
MCCCCLXIV, et obiit Viennae feria tertia majoris ebdoma-

dae in anno Domini MCCCCLXXXX, sepultus est in Alba Regali.<sup>5)</sup>

*Wladislaus* Rex coronatus fuit anno D.M.CCCC.LXXXX. Obiit autem secundo die beati Gregorii papae M. CCCCCX16. Albae Regali sepultus est.

*Ludovicus* Rex Illustrissimus coronatus est annorum quinque, regnavit post obitum Patris scilicet Wladislai decem annis, periret autem per saevissimos Turcos in expeditione Mohachiensi Anno D. quingentesimo vigesimo sexto.

*Joannes* Rex in eodem anno in festo sancti Martini coronatus est per aliquos Dominos Magnates Regni Hungariae, regnavit annis quatuordecim. Obiit anno D.ni M.CCCCC.40. in festo Mariae Magdalena hora septima in oppido Zazsebes Transylvaniae et sepultus est in Alba Regali.

---

<sup>5)</sup> Ad latus paginae alia manu scriptum legitur: Bellum cruciatum fuit anno D. 1514.

## SEQVVNTVR NOTAE HISTORICAE

CONTINVATORVM SAEC. XVI.

*Ferdinandus* Rex coronatus anno Domini 1527.

Item anno Domini millesimo *quadrингentesimo* quadragesimo primo feria secunda proxima ante festum decollationis S. Joannis Baptiste Turcae germanos in obsidione budensi profligaverunt.

Item feria secunda sequente eodem anno in festo Decollationis Divi Joannis Baptiste Caesar Thurcarum infidelitate generosissimam civitatem ac imperium totius Regni Hungariae Budam expugnavit.<sup>6)</sup> Tum per infidelitatem, Serenissimamque Isabellam Reginam filiam Regis Poloniae una cum filio suo Joanne nuncupato, filio Regis Joannis, Valentimum Therek Comitem Simigiensem ibidem captivavit, et in Turciam secum retinendo in perpetuas captivitates duxit; aliosque dominos Magnates et Barones, fratrem Georgium Thesaurarium Regni, Petrum Petroyt Comitem Themessiensem, ac Vrbanum Bathyanum scilicet cum praefata Serenissima Reginam ac filio jam dicto ad Transylvaniam ac terram ultra Tybiscum possidentem ex Buda emisit.

Item anno D. Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo Imperium Romanum Capitaneum suum Marchionem Brandenburgensem cum maxima expeditione partim Italorum, partim vero Germanorum ad expugnandam nobilissimam civitatem Budam, quae est totius Regni Hungariae Metropolis, dimiserat, qui in profecto Divi Michaelis Archangeli anni ejusdem ipsam civitatem obsedit, quam intra spatium unius ebdomadae op-

---

<sup>6)</sup> Ad latus recentior manus haec adiecit: Hoc anno 1627 sunt 82 anni ex quo Turca Budam habet.

pugnatam, repente reliquit inexpugnatam, castraque amovit ab ea, ac in patriam remigrarunt.

Item anno 1543. Imperator Turcarum 8-o die mensis augusti, qui dies divo Cyriaco martyri dicatus fuit, unicum et ultimum propugnaculum totius Hungariae, arcem munitissimam Strigonium expugnavit, sibique vendicavit Albam Regalem, arcem Walpo, Soklyos, et Quinque-Ecclesiensem.

Item anno Domini 1553. Caesar Turcarum et Memetbek terram Mathyws fewlde vocatam sibi mancipavit et devastavit, ita ut pauperes quasi in nihilum sunt redacti.

---

Item anno 1514. bellum crucifixorum (sic) in Hungaria surrexerat.

Item castrum Nandor Albense captum est a Turcis anno Domini 1521.

Item serenissimus Rex Ludovicus profligatus est per Caesarem Turcarum in campo Mohachiene, et ibidem perierit anno 1526.

Item anno Domini 1551. feria 5. ante festum nativitatis Deiparae Virginis Georgius Seredi et Laurentius Nyari ex voluntate et e manibus magnificorum Andreae Báthori ac Thomae Nadasdy coronam angelicam Inclyti Regni Hungariae duxerunt in Viennam ad manus Regis Ferdinandi.

Item eodem anno Regina Isabella cum filio suo Joanne Secundo ut dicunt, filio Joannis quondam Regis Hungariae, a Transylvania ex voluntate Regis Ferdinandi in partes Poloniae emissus est.

Item eodem anno ex voluntate ac commissione Regis Ferdinandi per quosdam vaffros suos Reverendissimus Dominus Georgius Episcopus Varadiensis ac thesaurarius Reginae Isabellae morte sycaria per Hispanos et Germanos extinctus est in civitate Vyncez Transylvaniae.

Item anno Domini 1556. tota Transylvania a ditione et subjectione Regis Ferdinandi se subtraxit, et voluntarie sponte se potestati Turcae tradidit tributariam.

Item eodem anno Isabella jam saepius nominata unacum

filio suo jamjam fato ex voluntate Caesaris Turcarum circa festum Divi Lucae Evang. per duos Waywodas, Transylvaniac nempe et Transalpinac, introducta est, ac a Baronibus Transylvaniae honorifice suscepta est.

Item codem anno castrum IIuzt filio Regis ac Matri suae Isabellae traditum est.

Item codem anno possessiones arcis Echyed per Waywodas supradictos ac Valachos devastatae atque combustae sunt.

---

IV.  
IOANNIS DE VTINO  
BREVIS NARRATIO  
DE REGIBVS HVNGARIAE

---



*I. Sanctus Stephanus primus Rex regni Hungariae, regnavit annis 36.*

Anno Domini 969. Geisa Princeps quartus ab Arpad, qui Pannoniam intravit, divino praemonitus oraculo, genuit Sanctum Stephanum Regem Ungariae, qui a Sancto Adalberto Episcopo Bohemorum una cum filio in Strigonio baptisatus est. Mortuo autem Geisa anno Domini 995. Sanctus Stephanus coenobium in Monte Pannoniae construxit, et archiepiscopatum, alios episcopatus decem, fundavit; etiam coenobium in Veteri Buda in honorem Sanctorum Petri et Pauli apostolorum aedificare incepit, quod Sanctus Ladislaus postea complevit. Cui postea Papa coronam egregii operis, quam procuravit fieri pro Duce Michca, Polonorum scilicet, Sancto Stephano divinitus ammonitus cum cruce ac apostolica benedictione destinavit. Postea vero Augusti videlicet Hainrici Pii sororem Kellam in matrimonio sibi sociavit, ex qua plures genuit filios, sed inter alios unus fuit Sanctus Emericus, cuius memoria in benedictione habetur. Sanctus vero Stephanus *post multas tribulationes christianaæ fidei infidelium migravit ad Dominum, et est sepultus in Alba Regali.*

*II. Petrus I. regnavit annis VI.* Petrus, sororius Sancti Stephani, filius Wilhelmi, fuit frater Sancti Sigismundi Regis Burgundorum, electus est in regem, quem Petrum Ungari exosum habuerunt.

*III. Aba, regnat annis 3.* — Alium scilicet nomine Aba ex medio eorum anno tertio Petri elegerunt, et anno tertio eiusdem Abae Hainricus Imperator cum Petro ad regnum potentia mediante descenderunt, anno videlicet 1033, ubi Aba fugiens ab Hungaris est interemptus, et ab Imperatore veniam impetraverunt, et Petrum iterum suscepserunt. Parvo vero

elapso tempore, Hungari *fidem* Christi abicerunt, Sanctum Girhardum interfecerunt, et Andream introduxerunt, qui Andreas Petrum fugientem assecuravit, sed fidefractor Petrum excoecatum prius ad Albam Regalem duci iussit, ubi vitam finivit, et in Quinquecclesiis sepultus est, quam ipse fundavit.

IV. *Andreas I. regnavit annis 12.* — Andreas, et Leventa, et Bela fratres fuerunt, quorum Wasul pater eos ex concubina genuit. Leventa fautor fuit paganorum, et mortuus est. Andreas genuit duos filios, scilicet Salomon et David. Eo adhuc vivente fecit Salomonem coronari, pro quo Bela contra Andream praelium habuit, in quo Rex captus et negligenter detentus, in silva est mortuus. Et Salomonem ad Imperatorem sacerorum suum fugit, et usque ad mortem Belae permanxit. Tamen non est credendum, quod Imperator, scilicet Sanctus Hainricus filiam habuit, nam cum uxore sua, scilicet Sancta Kunigunde, in virginitate permanserunt. Et sepultus est in monasterio Sancti Adriani.

V. *Bela I. regnavit annis 3.* — Bela *primus Calvus Albae* est coronatus. Ubi communitas petiit ritu patrum suorum paganismus<sup>1)</sup> vivere, episcopos et clerum ac laycos christianos lapidare, ecclesias destruere, Rege vero contradicente, eos crudeliter punivit. Multa etiam alia fecit digna memoria, et sic Hungari post conversionem per Sanctum Stephanum bis ad paganismum versi sunt. Hic Rex in Dénis<sup>2)</sup> corruente solio confractus corpore cepit aegrotare, et mortuus est, et in ecclesia, quam ipse in Zogzard construxerat, sepultus est.

VI. *Salomon perditus est.* — Salomon Rex cum Imperatore regnum intravit, et ab omnibus tam spiritualibus quam secularibus est susceptus. Filii Belae praedicti, scilicet Geisa cum duobus parvulis fugerant in Poloniam. Imperatore a regno recessente, Geisa intravit, quem timens Salomon retrocessit in Moson castrum, tamen mediantibus religiosis concordati sunt. Rex et frater suus David liberos non habuerunt. Dux vero Geisa genuit Colomannum et Almum. Bohemi intrantes regnum, multa spolia deportaverunt, pro quo Rex et Dux Bo-

---

<sup>1)</sup> Codd. habent: *paganissimo.*

<sup>2)</sup> Dómüs.

hemiam igne et gladio vastaverunt. Post hoc Cuni <sup>3)</sup> pagani de regno multa spolia deportaverunt, quos Dux Sanctus Ladislaus frater Belae Ducis persequebatur. Quendam paganum portantem pueram interfecit, pueram liberando. Ibidem Sanctus Ladislaus in fronte est vulneratus. Postea Rex et Duces multa bella victoriosa contra Graecos et Saracenos (gesserunt) ubi in divisione spoliorum dissenserunt sic, ut Rex cum Ducibus magnum conflictum in loco, ubi nunc Vacia, habuerunt, ubi Dux Otto Bohemorum est interfactus, et Rex Salomon per Danubium fugit usque ad Moson.

VII. *Geisa I. regnavit annis 3.* — Geisa et Ladislaus venerunt in Albam, ubi Geisa est coronatus. Postea ecclesiam Vaciensem fundavit. Salomon vero cum Imperatore potenter venerunt usque ad Vaciam, ubi Patriarcha Aquileiensis pecunia corruptus consiliatus est Imperatori ut reverteretur; hoc et fecit. Salomon vero collegit se ad castrum Posoniense, quod Dux Sanctus Ladislaus obsedit, de quo Salomon contra Sanctum Ladislaum exibat pugnare volens; ubi super caput Sancti Ladislai duos vidit angelos, retrocessit. Postea Rex Geisa voluit regnum resignare, et ducatum tenere, sed morte praeventus migravit ad Dominum, et sepultus est Vaciae.

VIII. *Sanctus Ladislaus I. regnavit annis 19.* — Post mortem Geisae universa multitudo Sanetum Ladislaum fratrem eius in regem elegerunt, eo contradicente; tamen nunquam coronam in capite suo posuit pro eo, quod ius legitimum non habebat. Et quarto anno sui regiminis pacificatus est cum Salomone, dans ei stipendia ad regales expensas sufficientia. Postea retrusit Salomonem in Visegrad in carcere; sed in elevatione corporum Sanctorum Stephani et Emerici dimissus est. Qui fugiens ad Ducem Cumaniorum <sup>4)</sup> qui invadentes Hungariam, quos Rex Sanctus Ladislaus contrivit, et Rex Salomon cum Duce Cumaniorum <sup>4)</sup> fugierunt. Et Rex post multas tribulationes, deposito scuto, abiit in opacas partes silvarum, nec unquam ultra comparuit. (Postea vero tempore Colomanni Regis semel in Ungaria apparuit. Et totum tempus vitae in pe-

<sup>3)</sup> Cod. Romanus habet: *Unni.*

<sup>4)</sup> Cod. Romanus habet: *Unnorum.*

regrinatione et oratione consumavit, et Polae<sup>5)</sup> in civitate Istriae est sepultus; uxor autem eius, et mater, in Agmund requiescunt. Sanctus vero Ladislaus postea multa bella cum Cunis et Ruthenis etc. gessit. Mortuo Imperatore electores eum ad imperium petierunt. Hoc recusavit. Ad passagium, ad petita regum Franciae, Hispaniae et Angliae se obtulit, prius tamen voluit fratres, duces videlicet Bohemorum, concordare, Conradum et Scentepoluch, ubi in confiniis Bohemorum eum gravis infirmitas invasit, ubi Almum filium fratri sui Geisae regnatum post se instituit, idem vero simplicitate ductus Colomanum fratrem suum cum corona honoravit.

**IX. Colomanus primus, regnavit annis 25. M. 6.** — Colomannus, filius Geisac, erat yspidus, pilosus, luscus, gibbosus, claudus et blesus, sed astutus et docilis; est coronatus et fratri suo Almo ducatum concessit. Hic iter peregrinis Jesu Christi per Hungariam prohibuit, tamen potentia mediante multis Ungaris imperfectis transierunt. Postea Rex et Dux suggestione malorum exercitus congregaverunt, fideles autem dixerunt: Pugnent ipsi duo simul, et quis ipsorum praevaluerit, ipsum pro domino habeamus. Imperator vero pacem inter eos firmavit; sed postea Rex cepit Ducem et filium eius Belam, quos excoccavit, et infantulum castrare pracecepit, quod executores non fecerunt, sed testiculos catuli Regi detulerunt. Hic Colomanus Cunves<sup>6)</sup> appellatur, qui fuit episcopus Varadiensis.

**X. Stephanus II. regnavit annis 18.** — Stephanus, filius Colomanii, coronatus, multa praelia cum Polonis, Bohemis, Graccis habuit, Gracci vero intrantes regnum, multos interficerunt. Hic multa mala fecit, et liberis caruit, et cum Belam excoccatum vivere rescivit, gavisus est, cui tradidit uxorem, ex qua genuit ipse Bela Geisam. Hic Rex dilexit Cunos et multos Ungaros, Cunos odientes, interficere iussit. Idem Rex debilis, extendens manus suas in Cunos, qui praecepsites irruerunt ad osculandum manus eius, et praec nimia pressura defatigaverunt Regem, unde etiam recidivo dolore corruptus, et cum esset in articulo mortis, monachalem habitum, relicto regno, suscepit etc.

<sup>5)</sup> Codd habent: *Poloniae.*

<sup>6)</sup> Pronuncia: *Königes.*



XI. *Bela secundus coecus, regnavit A. 9. M. 11.* — Bela coecus, filius Almi Ducus coeci regnavit; qui omnem suam spem posuit in Domino. Qui ex Helena quatuor genuit filios, scilicet: Geisam, Ladislauum, Stephanum et Ahnum. Regina vero in congregratione petivit vindictam de illis fieri, qui excoecaverunt dominum suum. Nam ibidem ex baronibus et nobilibus 68<sup>3)</sup> fuerunt occisi, et quia Ungari semper fluctuant ut mare salsum, mittebant pro quodam adultero nomine Barich, ut regnum susciperet. Rex vero fretus divino auxilio, omne robur Barichi contrivit. Qui Bela erat bibulus, et in illa ebrietate largus (erat, et post ebrietatem) implere non potuit,

XII. *Geisa II. regnavit A. 20. M. 3.* — Geisa, filius Belae, coronatur. Cuius tempore castrum Posoniense per Teutonicos furtim capitur. Rex vero Hainricum Ducem Austriae, et Saxonem et Bavarios fugavit. Huius tempore Conradus Imperator per Hungariam transivit versus Jerosolimam, et a regno Hungariae magnam pecuniam vi extorsit. Et post eum Rex Lodowicus Francorum pacifice transivit, quem Rex multum honoravit.

XIII. *Stephanus III. regnavit annis 11. mens. 9.* — Stephanus tertius Geisac filius, coronatur, qui regnavit a. 11. M. 9. In eius Imperio Dux Ladislaus, filius regis coeci usurpavit sibi coronam dimidio anno, migravit ad Dominum anno D. 1162, cuius corpus Albae requiescit. Stephanus frater eiusdem, similiter Belae coeci filius, coronam usurpat, sed m. 5. postea expulsus est de regno, et obiit anno Domini 1163. mense aprilis, cuius corpus Albae quiescit. Stephanus vero filius Geisae obiit anno Domini 1173, mensis martii, cuius corpus Strigoni quiescit.

XIV. *Bela III. regnavit a. 23.* — Bela frater eiusdem, scilicet filius Geisae, qui fures et latrones persecutus est, et petitionibus loqui traxit originem, ut Romana habuit curia, et imperii. Obiit anno Domini 1190., cuius corpus Albae quiescit.

XV. *Emericus, regnavit a. 8. m. 7.* — Emericus filius Belae. Huius uxor Domina Constantia, filia Regis Aragoniae, Caesari Friderico per consilium Apostolici copulatur. Obiit anno dñi 1200; requiescit in ecclesia Agriensi. Ladislaus filius Emerici regnavit m. 6. d. 12. Obiit anno dñi 1201, et corpus eius quiescit Albae.

<sup>3)</sup> Cod. Romanus habet: 64.

XVI. *Andreas Rex* migravit ad Dominum anno eiusdem 1235. Requiescit in monasterio in Egrus, et regnavit annis 30.

Andreas filius Belae, HI. qui genuit ex Gerdrude de Alemania Belam, Colomannum <sup>4)</sup> et Andream, ac Sanctam Elizabeth. Cuius tempore quidam Wanckbanus Dominam Reginam gladio transfixit anno dni 1212. Aliqui eam fingentes nephandam, cuius contrarium per Legendam Sanctae Elizabeth probatur esse verum. Ipsa Domina in Pelisio quiescit, pro quo in omni genere Wangk magna sanguinis effusio est subsecuta. Rex vero terram sanctam intravit, ubi victor contra Soldanum extitit gloriosus; multas sanctorum reliquias secum portans. Filiam suam Sanctam Elizabeth Ludovico Lantgravio Thuringiae tradidit in uxorem, qui Lodovicus postea cruce signatus devote Jerosolimam pergens, ibidem migravit ad Dominum, cuius festum ibidem celebratur.

XVII. *Bela Rex anno Domini 1235. Strigonii quiescit et regnavit annis 35.* — Bela Rex anno dni 1235, filius eius (Andreae), post eum coronatus. Cuius tempore Tharthari cum quinque centenis milibus armatorum regnum Hungariae intraverunt, contra quos Rex praelians, ubi fere extinguitur militia universa. Rex fugiens ad mare, et Tharthari tribus annis in regno permanserunt. Hoc fuit tempore 1241. Reverso Rege contra Novam Civitatem <sup>5)</sup>, cum Friderico duce Austriae bellum habuit, in quo Dux est interfectus, Rex autem bellum perdidit. Iterum Rex cum Ottokaro Rege Bohemorum circa Moraviam confictum habuit, a quo Boemo vetus fugit circa Hamburgam. Huius etiam tempore plebs flagellis se feriendo universaliter discurrebat.

XVIII. *Stephanus 5. regnavit annis 2.* — Stephanus filius Belae, statim coronatus est. Hic Ottokarum Regem Bohemorum ante fluvium Raphenza devicit et fugavit. Postea Regem Bulgarorum compulit sibi deservire. Obiit anno dni 1272, sepultus est in insula budensi in loco beginarum.

XIX. *Ladislauus tertius regnavit 14 annis, et sepultus est Chanadini.* — Ladislauus filius Stephani, statim est coronatus. Imperatore adiuvante ipsum Ottokarum praedictum circa Moravam interfecit. Postea anno domini 1282 Cuni voluerunt sibi

<sup>4)</sup> Cod. Rom. habet: colmannum.

<sup>5)</sup> Bécs-Újhely.

regnum subiungare, quos Rex prostravit, et Cuni fugientes ad Tartaros, et cum eis secunda vice usque ad Peschitt universa combusserunt. Rex filiam regis Apuliae duxit in uxorem, tamen filiabus adhaesit Cunorum, pro quo a legato Papae vinculo excommunicationis est correctus; Rex vero nihil advertens, postea miserabiliter a Cunis est interfectus, anno dni 1290. Huius tempore cepit Unigaria a sua magnifica gloria reflecti, ceperunt bella surgere, civitates confringi, villae comburi, pax et concordia conculcari, divites deficere, et nobiles rusticari prae inopia paupertatis. Nam homines more pecorum bigis iuncti vices animalium impendebant.

XX. *Andreas tertius regnavit a. 11. et Budae est sepultus apud Minores.* — Andreas Dux de Venetiis eodem anno est coronatus, qui fuit secundi Andreac nepos. Nam Andreas post reversionem de Jerusalem, duxit filiam Marchionis Estensis, quae Domina post mortem Regis ostendit se primatibus gravidam; recessit ad patrem in Italiam, peperitque Stephanum. Idem Stephanus exceedens contra avum eundem, fugit tandem in Venetiis, duxit cuiusdam potentis civis filiam in uxorem, ex qua genuit praedictum Andream, qui fretus auxilio suorum venit in Hungariam adhuc Ladislao praedicto vivente, eo autem interfecto est coronatus. Qui Austriae debellavit, plures nobiles in praeiudicium Regis a Bonifacio Papa IX. petierunt quendam Karolum puerum 11 annorum, Regis Siciliae ac Mariae Regis Stephani filiae Regis Ungariae filium. Sed legati Papae cum puerō nichil agere valentes, ad Papam redierunt.

XXI. *Wenceslaus, postea vocatus est Ladislaus, Budae regnavit annis 2.* — Post mortem Andreac quidam ad Wenceslaum Regem Bohemiae miserunt, quem Ottokarus ex filia Quarti Belae genuit; qui filium suum, etiam Wenceslaum, eis in Regem tradidit, qui in coronatione Ladislaus est appellatus, et Budae degens, nullum castrum, nec aliquod ius regale habuit. Nam aliqui Karolum, alii Ladislaum pro Rege, nomine et non re, habuerunt. Pro quo (pater) eius filium suum coronatum cum corona reduxit in Bohemiam. Eo tempore iterum legatus Papae pro Karolo in Hungariam venit, sed videns se nichil posse proficere, reversus est in curiam.

*XXII. Otto, coronatus, captus, et postea de regno expulsus est, et non depingitur* <sup>6)</sup>. — Interim quidam alii nobiles Ottonem Ducem Bavariae introduxerunt, et secum coronam sibi per Wenceslaum datam portando, anno dñi 1304 est coronatus. Postea terram Erdel intravit, ubi a Ladislao Vajvoda captus, et diu vinculatus, et postea de regno expulsus est.

*XXIII. Karolus regnat annis 42.* — Anno domini 1309. legatus Papae vinculo excommunicationis communitatem regni in regem suscipere Carolum compellebat, qui anno domini 1310. est coronatus. Cui regi quidam Mathaeus de Trnuezinio adversitates condit. Rex primo duxit Mariam Polonicam; postea Beaticem filiam Regis Romanorum, sororem Regis Bohemiae; ultimo Elizabeth filiam Ladislai Regis Polonorum, ex qua genuit Carolum et Ladislaum, qui fuerunt mortui, et postea Ludovicum anno domini 1330. Quidam miles Felicianus de genere Zaak <sup>7)</sup> in Visegrad ante Regis mensam clam intrando, manum Regis dextram vulneratus est, et Reginae quatuor digitos amputavit, et duos filios Regis, scilicet Lodovicum et Andream occidere voluit, sed paedagogis interventientibus, sani evaserunt. Qui Felicianus cum tota progenie est interfectus. Postea Rex Wasarad <sup>8)</sup> Vaywodam Walachorum de terra expellere voluit, qui se Regi subdidit ordinata pace. Rex confisus in eo, et ab eodem multa et innumerabilia dampna est passus ita, quod vix solus salvus evasit. Mortuus est rex 1342.

*XXIV. Lodoricus regnauit annis 40.* — Lodovicus filius Caroli, anno eodem, scilicet 1342. et tertia die post obitum patris, est coronatus, qui etiam Rex Poloniae fuit. Ille erat pacificus, tamen adversarios sibi subiecit, nam et Venetos censuales fecit coronac. Hic filiam suam Mariam Sigismundo, Imperatoris Caroli et Regis Bohemiae filio desponsavit. Aliam filiam, scilicet Hedwigem, Wladislao Duci Masoviae cum regno Poloniae tradidit in uxorem, et obiit anno a. d. 1382.

*XXV. Sigismundus.* — Sigismundus Caroli Imperatoris

<sup>6)</sup> Nempe in hoc Joannis ab Utino Chronico, in cuius supremo margine super singulis columnis duae icones pictae sunt, nullius certe precii.

<sup>7)</sup> Cod. Rom. Zaack.

<sup>8)</sup> Cod. Rom. Bosorad.

filius, antequam solemnitates nuptiarum celebravit, barones adduxerunt alium Carolum de Sicilia, cui voluerunt Mariam, Sigismundo prius despontatam, una cum regno tradere, et eadem scilicet nocte, quando debebant nuptiae celebrari, quidam Forgach volente regina eundem Carolum in castro Visegrad interfecit, pro quo est cum castro Gemisch haereditarie remuneratus. Et Sigismundus anno domini 1386. est coronatus, et anno domini 1396. cum Bayzach Imperatore Turcorum conflictum sub castro Nyepoli habuit, ubi pauci ex Christianis evaserunt. Et anno domini 1400. per Barones Rex Budae fuit captus, pro quo postea multos Barones et nobiles fecit decollari. Elapso parvo tempore, iterum fuit captus, et Nicolao de Gara ac fratri eius fuit ad custodiendum assignatus, de manibus quorum ipsis voluntibus exivit, quos postea remuneravit. Mortua Maria, duxit Barbaram Hermanni Comitis Ciliae filiam, ex qua genuit Elizabeth, quam tradidit Alberto Ducis Austriae in matrimonium.

**XXVI. Albertus.** — Albertus Dux Austriae et Romanorum, Hungariae Bohemiac Rex. Hic nec Aquisgrani, nec Romae coronatus fuit, quod praeventus morte illa adimplere non potuit, quia non integre duobus annis regnavit, et sepultus est in Alba Regali.

**XXVII. Ladislaus Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, Austriaeque et Stiriae etc. Dux, Marchio Moraviae etc., regnavit annis quasi 18, et Papae sepultus est in castro.** Ladislaus filius Alberti, post mortem patris in festo cathedrae Sancti Petri natus, et statim in die pentecostes sequenti, 13 existens septimanarum, Albae coronatus, una cum sacra corona Ducis Alberto Austriae, postea Friderico Regi Romanorum, propter dissensiones Praelatorum et Baronum regni, per matrem ad enutriendum est assignatus. Eodem tempore Wladislaus Rex Polonorum per quosdam in Regem Ungariae introductus, qui non sacra sed alia corona fuit coronatus, et postmodum cum suis adhaerentibus exercitualiter Dominam Elizabeth Reginam genitricem Ladislai in civitate Posoniensi circumvallavit, et de castro Posoniensi in civitate cum ictibus lapidum *de bombardis* proicere mandavit, sed nichil proficere valuit. Inde confuse cum dampno recessit, qui finaliter in ex-

ercitu contra Turcos est interfectus. Et postea Johannes de Huniad in Gubernatorem electus est, et pluribus annis regnum decenter ac magnifice gubernavit. Hiis temporibus Fridericus Romanorum Rex una cum Rege Ladislao ac Alberto Duce Austriae fratre suo pro corona imperiali suscipienda Romam perexit, et in reditu in Novam Civitatem Australes communiter ab Imperatore praedictum Regem Ladislauum exercitualiter venientes postulaverunt, quem dictus Imperator eis tradidit. O utinam si istam postulationem nunquam excogitassent! Postea Gubernator Hungariae Ladislao regnum resignavit, qui Rex varios consiliarios habuit propria commoda quaerentes, Regem ad Bohemiam pro coronatione portantes, et hinc inde ducentes, tandem ad Hungariam cum cruce signatis usque in Anderalbam deducentes, sed nil utile proficientes, et iterum ad Pragam reducentes, ubi subita peste infectus, vitam temporalem feliciter terminavit, anno vitae suaet coronationis 18. Et sepultus apud proavum suum Carolum Imperatorem in castro Pragensi, anno domini 1457, in die Sancti Clementis. Huius etiam tempore mortuus fuit frater Johannes de Capistrano, ord. minorum de observantia. Praedicator in diversa regna per Nicolaum V. missus, et per invocationem nominis Jesu Christi et sancti Bernhardini multi sanati sunt.

Post mortem Ladislai Praelati et Barones cum communitate regni Budae congregati, Michaelem de Sylagy in Gubernatorem elegerunt, et Mathiam, Johannis de Huniad Comitis Bistriciensis quondam Gubernatoris filium, qui detenus Pragae fuit apud Georgium Electum Regem Bohemiae, in Regem Ungariae elegerunt, in profesto conversionis Sancti Pauli Anno domini 1458. Parvo elapsso tempore praedictus Michael Gubernator ex instinctu quorundam in captivitatem regiam est receptus, unde salvis exivit. Medio tempore aliqui ex potioribus regni Hungariae Dominum Fridericum Imperatorem Romanorum in Regem Hungariae elegerunt, qui sacram coronam regni Hungariae in potestate pluribus annis habuit, et adhuc tenet.

---

V.

ANONYMI DVBNICENSIS

L I B E R

DE REBVS GESTIS LVIDOVICI R. HVNG.

1345 — 1355.



## LIBER DE GESTIS LVDOV. R. HVNG.

/<sup>69.</sup> b Postquam <sup>1)</sup> dominus Rex Lodovicus reversus fuerat de Lythuanis: praestolabatur pro domino Rege Andrea, fratre suo, fraterno amore; coronam regni Siciliae per sedem apostolicam adepturum, et ipsum in proximo ad maiestatem regiam subvecturum. Sed proch dolor! expectavimus pacem, et non venit, quaesivimus tempus curationis, et ecce turbatio. Johanna enim uxor Regis Andreea superba erat nimis, et invida, quia superba. Idco in regno sibi aqualem vel superiorem pati nolebat, et ita Regem Andream a corona impeditiebat; et quia invida, ideo fellicida, et honori mariti sui in felle amaritudinis posita invidiebat. O feminarum iniquissima! de beneficiis Dei ingratissima, persecutrix innocentis nequissima, contra Deum cervicosa, contra proximum malitiosa, contra suam animam criminosa, //<sup>70</sup> contra communem morem odiosa, contra mititatem fastuosa! O vas iniquitatis et malitia! o fax et ignis iracundiae! o pondus magnae contumeliae. Quantum malum suscitasti! quantum guerram concitasti! quantum crimen commisisti! totam ecclesiam Dei tuo scandalo denigrasti! Vide, considera et pondera quid fecesti, quantum scelus commisisti! Maritum et dominum tuum interemisti, caput tuum contrivisti, gloriam tuam obfuscasti, laesae maiestatis crimen incurristi. Juvenem nobilem et illustrem, utpote filium Regis, occidisti, iustum et innocentem iugulasti, de iure regnaturum interfecisti, fratricidium commisisti. Haec omnia tam stupenda mala non

<sup>1)</sup> Compilator Chronicus Dubnicensis interserit: *autem.*

erubescens perpetrasti, magis impia Jezabele, crudelior Medea interfector! O optime iuvenis Rex Andrea! o actas gratissima! o proles dignissima! o generatio nobilissima. Non in magna via occidisti; sed sicut solent iusti coram filiis iniquitatis cadere, corruisti. Digne igitur de te, pro te et super te, multarum terrarum habitatores sumpserunt lamentum.

Anno domini millesimo tricentesimo quadragesimo quinto, per Johannam uxorem suam et per satellites regios, decimo nono Septembris, dirae mortis faucibus traditus est in civitate Aversa, distante a Neapoli ad octo miliaria; et sic sine causa imperfectus est, et deportatus Neapolim per Hungaros, quorum custodiae commissus fuerat per dominam Elizabeth Reginam Hungariae, matrem suam. Tempore tamen et hora imperfectio-  
nis suae ipse Rex Andreas praedictos Hungaros ad sua hos-  
pitia ire compulerat, quia quanvis suspicio mortis sibi per ux-  
orem suam fiendae eius auribus per plurimos instillaverit; ta-  
men hoc ipse, suam innocentiam considerans et uxoris impraeg-  
nationem, credere non poterat, et sic ut agnus innocens iu-  
gulatus est. Cum autem corpus suum deferretur in Neapolim ad  
sepeliendum, tota civitas, tanquam obviam funus filii sui, con-  
currebat, et ipsum inconsolabili planctu deplorabant. Deduc-  
tumque est funus Regis Andree Neapolim, et sepultum in ka-  
thedrali Ecclesia iuxta avum suum Karolum Marcellum, sta-  
timque post mortem suam dicitur divinitus miraculis clariusse,  
et quasi omnes, qui in mortem eius conspiraverunt, marces-  
et feminae, miserabili morte consumpti sunt, etiam ultione  
sanguinis innocentis

<sup>70.b.</sup> Quomodo autem domina mater sua Reginam mortem filii  
sui planxerit, securius est tacendum, quam aliquid dicendum;  
quia hanc amaritudinem taliter lingua explicare non valet.  
Convenerunt autem ad ipsam dominam Reginam, tempore  
luctus sui, domini et dominae, virgines et viduae, cuncti pro-  
ceres Hungariae. Cum viberent dominam Reginam filii sui in-  
nocentis mortem ita vehementi dolore deplorare, corda omnium  
ad planctum et compassionem scindebantur. O domine Deus  
fac, ut terra non operiat hunc sanguinem innoxium, qui clama-  
mat ad te, sicut clamavit sanguis Abel iusti pueri tui: aba!  
aba!

Rex autem Lodovicus terminato luctus sui tempore super morte fratris Regis Andreeae , anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, in festo sancti Georgii processit cum valida multitudine armatorum contra Venetos ad defendendum civitatem Jadriensem; quia Veneti eam expugnabant, ex quo ab eis recesserat et omagium fecerat Regi Hungariae, sicut iure ad eum pertinebat. Fecerant etiam Veneti quoddam fortalitium construi, quod Scicatum appellaverunt, contra Iadrian. Rex autem Lodovicus cum machinis et aliis ingeniiis ac eum pugna armatorum suorum ipsum Scicatum nitebatur expugnare. Cum autem dies et hora praedictum fortalitium expugnandi advenisset, et acies ac cunei ordinati fuissent, ortabatur dominus Rex Lodovicus verbis amicabilibus principes et duces exercitus, reducens eis ad memoriam sua ac //<sup>71</sup> patris sui Regis Karoli beneficia, quae eis contulerat, ut uno ac conformi impetu contra arcem irruerent, ut sic virtus descendentium Scicatum divisa infirmaretur, et ita citius caperetur. Haec Rex Lodovicus sincero ac simplici animo facere intendebat; sed quia voluntas ducum et principum bellatorum, ut dicitur pro floreno Venetorum, erat corrupta, a voluntate domini Regis pura et simplici discrepabat: unde *in illo*<sup>2)</sup> conflictu principes exercitus proditiose procedebant, quod eventus rei comprobavit. Cum enim essent castrorum acies ad pugnandum ordinatae, terribiles ad videndum parti contrariae, ac sic ordinati et ipsi Scicato ad iactum sagittae apropinquassent; ibidem in gradu suo perstiterunt, et ulterius contra Venetos, fraudulenter corrupti eorum pecunia, ire et praeliare noluerunt, et sic famam gentis suae laudedignam prodiderunt, et sibi ac posteris suis opprobrium sempiternum reliquerunt. Dominus autem Rex Lodovicus in hac sua deiectione multum se prudenter rexerit et habuit, quia, quamvis per suos principes et barones honorem tunc non reportaverit, tamen onnia facta eorum sapienter dissimulavit, ne eorum animos ad maius malum concitaret. Videntes autem Jadrienses, quod ipsos dominus Rex Lodovicus defendere propter suorum proditionem non poterat, panis inedia, machinarum ictibus, obsidionis gravedine, et multis malis contra eos invalescentibus compulsi, tradide-

<sup>2)</sup> Cod. Dubn. habet *nichil*.

runt se et civitatem suam Venetis, et illi fecerunt de eis sicut voluerunt.

*¶<sup>1. b.</sup>* Cum autem mors Regis Andreeae, inficta per illos, quos maxime infligi non debuerat, utpote per suam coniugem et cognatam, ac suos consanguincos et propinquos, nec non per suos secretarios et sodales, ideo mundi magnatibus, regibus et principibus, et minoribus nobilibus et popularibus, propter crudelem et ferialem interficiendi modum, horrorem et timorem (*incussit.*) Omnes igitur unanimiter Dei omnipotentis iustiam flagitabant, et ad eius maiestatem suspirabant; ut huius tanti sceleris auctores poena condigna vindicarent, et secundum quod merebantur, quali eos flagello corriperet et talione percelleret, luce clarius demonstraret. Ab illo autem tempore, quo Rex Andreas decessit, dominum Regem Lodovicum, quasi de tota Italia rectores civitatum, nobiles terrarum et singulariter de Apulia et Provincia barones et comites et reliquum volgus populi, ut ad ipsos transiret de Hungaria, assumtuosius invitabant, et per nuncios et affines, consanguineos et cognatos, ut regimen regni Siciliae, quod ipsum Regem Lodovicum de iure contingebat, assumeret, eius animum indesinenter ac iugiter commovebant, et hoc libenter ac fideliter faciebant. Tamen, quia quilibet naturaliter diligit dominum suum, verum tamen displicebat eis mulieris imperium, directus igitur, ut credimus, divinitus Rex Lodovicus, sui capitio consilio principaliter et aliorum paucorum, communiter votis se vocantium annuit, et ad ipsos eundi animum inclinavit, et suum ad eos transitum multis iudicibus declaravit, et litteris pluribus super hoc emanatis, munitis sigillo regio, roboravit. Sed quia sapientis est ordinare et fienda prudenter disponere, superno fretus praesidio, divino illustratus oraculo, verbi Dei accinctus gladio, fidei protectus clypeo, scripturae instructus testimonio ac proborum virorum fulcitus exemplo, in executione sui propositi non usus levitate, sed magna morum honestate, modestia et tutelae moderamine, quod faciendum decreverat, inchoavit.

Anno domini millesimo tricentesimo quadragesimo septimo, circa medium quadragesimae, praemisit suos intimos et dilectos, videlicet dominum Johannem Episcopum Wesprimi-

ensem et Magistrum Nicolaum //<sup>72</sup> filium Laurentii, cum magna pecunia, firmiter eis praecipiens, ut in transitu suo et in itinere nemini noceant, nec cniquam molestiam inferant, et de rapina exercenda caveant; sed placibiliter omnibus et pacifice per viam suam gradiantur, ue nomen suum regium dignum et honorificum per sua malae operationis infamiam macularent, et ex hoc multis scandalum generaretur, et ut ipsum dominum Regem vocantium et expectantium stabilitatem et fidelitatem secretius investigarent, et ipsius inimicos et aemulos quantum possent, expugnarent. Transeuntes prædicti domini Regis familiares in Apuliam, secundum imperium eius omnibus se pacatos et benignos reddiderunt, et ubique eos cum honore receptos, consolatos et laetos abire permiserunt.

Pervenientes autem ad Aquilegiam <sup>3)</sup> civitatem, dominus Lalws in iure civili doctor egregius, rector eiusdem Aquilegiensis civitatis, ipsos, accipiendo dulciter, honorifice pertractavit, et omne fidelitatis obsequium, per fratrem suum Regi Lodovico intimum, incrementabiliter adimplevit, quod etiam experimentalis administratio approbavit; nam cunctis Lodovici Regis adversariis, ut murum tutissimum, omnibus adversantium ictibus se opposuit, et omnia sua pollicita et bona fidelissime amministravit. Regis vero Lodovici ambasatores ad diversas partes regni Apuliao miserunt nuntios, et ipsos in fidelitate Regis Hungariae fortis et stabiles ac perseverantes reperierunt. Tandem per litteras dominum Regem certificarunt ipsum regnum feliciter posse intrare. Tunc Rex Lodovicus militiam suam non subito, nec simul, misit in Apuliam, sed particulatim, ne terrigenae pertimescerent, quod manu violenta et vindicta regnum vellet obtainere. Et ideo principes exercitus et duces bellatorum, tractu temporis, hic sexagenos, centenos et millenos, diversis temporibus, iussit transmovere. Unde postea eodem anno circa festum sancti Georgii praemisit Dominum N. electum Nitriensem, cum aliis principibus et comitibus, pro causis supramemoratis. Deinde circa festum divisionis Apostolorum fecit similiter, magnam militiam transmittendo, qui in

---

<sup>3)</sup> Cod. erronee habet *Apuliam* civitatem. Confer Turócius P. III. c. 9.

Aquila congregati, simul cum stipendiariis ad /<sup>72.</sup><sup>1)</sup> bellandum doctissimis, de sumtibus domini Regis Lodovici, inde accipientes, ducem Duracii ac Lodovicum principem Tarentinum, maritum Johanna, cui, mortuo rege Andrea Johanna nupserat, ac alios domini Regis adversarios valide debellabant, nec non civitates et fortalitia eorum. (*Exercitus*) domini Regis Lodovici de die in diem se ipso robustior, contra adversarios magis ac magis invalescebat, domus autem Duracii ducis et principis Tarentini notabiliter decrescebat. Post haec circa festum Omnium Sanctorum praemisit ante se dominum Nicolaum Palatinum cum maiori multitudine armatorum, ut ceteris in Aquila existentibus in arcem fieret et in praesidium. Omnibus itaque prachabitis diligent cura dispositis, cepit dominus Rex Lodovicus de suo recessu de Hungaria et de progressu ad Italiam cogitare. Et quia regnum Hungariae taliter pro se relinquaret, quatenus in eius absentia quaevis hostilitas ipsum regnum invadere non auderet — maius enim hostilitatis et adversitatis periculum ipsi Regno Hungariae a Tartariis et Saracenis imminebat — sed dominus Deus etiam cum attemtatione fecit proventum, quia taliter eos flagellavit, ut ipsorum terrorum timere et formidare non oportet. Nam anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, dominus Deus misit pestilentiam in eos, quae tantum in eos desacviiit, quod infra paucos menses, ut dicitur, trecentena milia Tartarorum prostravit et consumpsit. Sic igitur domino Deo providente, Rex Lodovicus in confinibus regni sui habens pacem cum hostibus, securitatem cum amicis et cognatis; regimen regni principaliiter posuit in manibus dominae Elizabeth Reginae, matris suae, magnae devotionis et prudentiae, eximiae sanctitatis et clementiac; et sic omnibus sapienter ordinatis et prudenter dispositis, anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, in festo beati Martini, die dominica, iter agressus est versus Apuliam. Sed usque ad metas regni clam, et quasi in occulto cum paucis pertransivit, ne ipsum fraudis et dolus sibi adversantium impediret. Cum autem pervenisset ad Celiciam <sup>4)</sup>, dominus Celiciae, qui sibi coniunctus fuerat, magno

---

<sup>1)</sup> Legenda certe Cillia, urbs et comitatus Stiriae inf.

cum favore accepit dominum Regem grandi cum honore. Percipientes autem Almani et strenui milites //<sup>73</sup> ducis Austriae, relatione veridica, dominum Regem Lodovicum morum honestate praeclarum, generositate praefulgidum, magnanimitate decorum, largitatis virtute venustum, in armis strenuum ac multis virtutum margaritis adornatum, ire in Apuliam; coavenerunt ad eum unanimiter, et magna fidei constantia eidem adhaeserunt, exponentes se pro eo ad omnem eventum et fortunam. Procedente igitur domino Rege in via sua, ecce magna armatorum multitudo laetanter ipsum sequebatur. Advenientes autem in Secel<sup>5)</sup> ad quoddam fortalitium pertinens ad patriarcham Aquilegiensem, quod situm est in confiubus Venetorum, scientes Veneti fraudulentia pleni, solemnes nuntios ad Regem transmiserunt, ut aliquali pace inter se firmata, fines corum pertransiret. Sed Rex usus consilio Stephani filii Laczk, neque ipsis auditum praebuit, ne videretur talem pacem urgente inedia vel in necessitate cum Venetis ordinasse et ignominiose<sup>6)</sup> fecisse. Ommissis autem ipsis Venetis, praecepit Stephano filio Laczk, tunc Vaynodac Transsylvaniae ceterisque Hungarorum nobilibus, Australibus et Alamanis, ut suis ordinatis agminibus, cum ipso procederent in Veronam. Superno igitur confortatus praesidio, ac pugnatorum vallatus subsidio, subito transivit supra Tervisium per terminos Venetorum imperterritate, male contrantibus Venetis. Cum autem venisset Veronam, ecce dominus Mascinus de Lasskal, dominus Veronae, occurrit sibi, recipiens cum honore, et magnificis muniberis decoravit, ac conviviis lautissimis frequentatis, indicibiliter cum Rege et suis militibus gloriose tripudiarunt et laetantes extiterunt. Audientes autem habitatores Italiae, quod dominus Rex Veronam advenisset, rectores civitatum et domini terrarum per internuntios, et, qui poterant, personaliter ad ipsum confluebant, sibi facientes omagium, ac se iuramento constrigentes, domino Regi fideliter adhaeserunt, praecepta et mandata eius servaturi. Deinde per Manthwam, Bononiam, Forlinum cum pace pertransivit, et per vallem Spoletam cum omni gaudio

<sup>5)</sup> Sicilie? (*Endlicher*). Oppidum hodie in Utinensi, quondam in Aquilegiensi, provincia.

<sup>6)</sup> Cod. habet ignannie.

et laetitia cunctorum suorum pervenit ad Aquilam in vigilia nativitatis domini. Quis autem hoc enarrare valeret, qualiter ipse Rex <sup>73b</sup> diu desideratus, et pluribus temporibus expectatus, fuerit exceptus. Nam populus christianus primo gaudebat de Regis aeterni nativitate temporali, etiam gaudebat de visione sui domini naturalis et Regis temporalis, et ita gaudio gaudium cumulabatur. Omnes autem fere de Apulia principes et comites, nobiles, communes et rectores civitatum, per se et per nuntios ad regem confluxerunt in Aquilam, et ipsum dominum suum naturalem cognoscentes, perpetuam ei fidelitatem promiserunt.

Anno autem domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, celebrata festivitate natalis domini, ductoque consilio, parabat se ad eundum contra Neapolim, Capuam et Adversam civitates, quae in parte videbantur foovere partes Johannae et complicum suorum universorum. Conducto autem et congregato exercitu Karolus dux Duracii et princeps Tarenti cum fratre suo Lodovico, marito eiusdem Johannae, ac ceteris regalibus, Regi Hungariae resistere nitebantur, et venerunt Capuam, ut eidem introitum impeditarent. Rex autem Hungariae, collecto suo exercitu, venit usque Capuam, contra quoslibet sibi adversantes pugnaturus. Videntes autem, qui erant ex adverso, donum domini et manum validam esse cum Rege Hungariae, scientes Neapolitanos non posse Regi resistere, <sup>//74</sup> portam introitus Capuae succederunt, regales autem fugam capientes, confusibiliter recesserunt. Rex autem Lodovicus habens liberum aditum, introivit Capuam et cepit eam sine sui et cuiuscunque laesione. Et postquam Rex habuit Capuam, movit exercitum suum et venit Aversam, qui receperunt eum cum honore. Audiens autem Johanna domini Regis adventum, cum marito suo Lodovico fugit de Neapolim, bene cum tribus galeis, versus Franciam, cupiens de manibus Regis liberari. Dux autem Duracii et princeps Tarenti cum fratribus inciderunt in manibus domini Regis Lodovici, qui eos comprehendens fecit detineri, ducem autem Duracii, in quo loco fuit Rex Andreas innocens nequiter imperfectus et corpus eius per fenestram projectum ad ortum irreverenter, ibi dominus Rex fecit eum per unum militem nomine Vezzews, filium Emerici de Bechei, capite

detruncari, vigesima tertia die mensis Januarii, et per eandem fenestram cadaver eius proici ad eundem ortum, sine honore.

[74. b] Per omnia benedictus Deus, qui sic tradidit impios puniendos! Filium autem Regis Andreae, nomine Karolum Marcellum, et duos fratres uterinos Karoli ducis Duracii, Lodovicum scilicet et Robertum, principem etiam Tarenti, nomine Robertum, et germanum suum Phillipum, transtulit ad Hungariam. Karolus igitur Marcellus, filius domini Regis Andreae, puer quatuor annorum, perductus est in Budam civitatem regiam in eodem anno, mensis Martii die tertio, et datus est dominae Elizabeth Reginae Hungariae, aviae suae, ad educandum et bonis moribus inbuendum, et per Magistrum Ciconeum et dominum Nicolaum Banum, dominum Oliverium et alios multos dominus Rex Lodovicus miserat de Apulia ad ministerium dicti ducis pueri, et ad custodiam regalium praedictorum, quos regales domina Elizabeth Regina sapientissima eodem tempore misit in Vysegrad, secundum imperium filii sui Regis Lodovici ibidem detinendos et diligenter custodiendos.

Item anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, post coronationem Regis Lodovici (*tertio*), circa festum purificationis virginis beatae Mariae, Siculi cum paucis Hungaris, qui tunc in medio eorum existebant, contra Tartaros procedentes, Deo auxiliante, innumerabilem multitudinem Tartarorum in terra ipsorum in ore gladii percusserunt. Ubi etiam princeps eorum valde potens, nomine Othlamus, secundus post Kanum, qui habebat in uxorem sororem ipsius Kani, vivus captus est, sed postea decollatus; pro cuius redentione quasi infinitam pecuniam promittebant. Sed Hungari spreverunt, praecaventes futura, vexilla etiam eorum portantes in terram suam, multosque captivos et spolia multa nimis in auro et argento, curialibus, neenon gemmis et vestibus preciosis; duravitque bellum inter eos tribus continuis diebus.

Dicitur quoque, quod quamdiu bellum inter Christianos et ipsos Tartaros duravit, caput sancti Regis Ladislai in ecclesia Waradiensi non inveniebatur. Mira certe res! Cum igitur / 75 subcustos eiusdem ecclesiae, causa requirendi ipsum caput, sacratissimam ingressus fuisset, reperit ipsum caput in suo

loco iacere ita insudatum , acsi vivus de maximo labore vel calore aestus aliunde reversus fuisset , quod factum idem sub custos non tantum ipsis canonicis , sed etiam multis religiosis viris publicavit . Ad probationem vero praedicti miraculi , qui dam ex praedictis Tartaris captivis , valde decrepitus , aiebat : quod non ipsi Siculi et Hungari percussissent eos , sed ille Ladislaus , quem ipsi in adiutorium suum semper vocant , dicebantque et alii sui socii : quod cum ipsi Siculi contra eos processissent , antecedebat eos quidam magnus miles , sedens super arduum equum , habensque in capite eius coronam auream et in manu sua dolabrum suum , qui omnes nos cum validissimis ietibus et percussionibus consumebat . Super caput etiam huius militis , in aere , quaedam speciosissima domina mirabili fulgere apparuit , in cuius capite corona aurea , decore nimio ac claritate adornata , videbatur . Unde manifestum est , praedictos Siculos pro fide Iesu Christi certantes , ipsam beatam virginem Mariam et beatum Regem Ladislaum , contra ipsos paganos , qui in sua virtute et multitudine gloriabantur , adiuvasse .

Alio quoque tempore , videlicet anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto , praedicti Siculi soli cum ingenti multitudine ad praedictam terram Tartarorum intrantes , ibique praelio commisso superna eis gratia victoriam concedente , innumerabilem multitudinem Tartarorum trucidarunt . Ubi multa arma valde preciosa recipientes , spoliaque infinita , tam in animalibus , quam etiam in gemmis et lapidibus preciosis , sicutque revertentes glorificabant Deum , qui dedit eis victoriam .

Rex autem Lodovicus , domino Deo ipsum protegente et dirigente , Regnum Siciliae , quo pater suus Rex Karolus iniuste privatus fuerat , recuperaverat , sicut superius est declaratum . Nam disponente ibi vicario , seniorum usus consilio , ad Hungariam est reversus . Cui obviam processit domina Elizabetha Regina , mater eius , cum nobilibus regni , et receperunt Regem in Segusdino , cum magno gaudio et honore , et conduxerunt ipsum usque in Budam civitatem regiam iubilis , anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo , die undecima mensis Iunii . Dux autem Karolus Martellus , filius Andreae , puer Deo et hominibus placibilis , infirmitate correptus , eisdem diebus et eodem tempore , vocante ipsum Domino , passio-

nis Christi merito, ad coelos evolavit, decima nona die mensis Iunii, anno praenotato, et sepultus est in Alba, in sepulcro Regis Hungariae. Rex autem Lodovicus de morte eius fuit valde contrastatus, quia proponebat (*eum*) praeficere in Regem Apuliae pro Rege Andrea patre suo, si vixisset. Interim autem duni haec agerentur, Lodovicus de Tarento duxit in uxorem Iohannam, uxorem Regis Andreae, ut mediante ipsa regnum Apuliac posset occupare, et congregato exercitu, postquam reversus fucrat de provincia Provinciae cum Johanna uxore sua, pugnavit fortiter contra Wolphardum, quem constituerat Rex Lodovicus vice sua ad regendum populum et ad domandum regni rebelles Apuliae. Qui Wolphardus Alamanus, videns Lodovicum esse fortiorum se, Wolphardus intrans cum suis castrum neapolitanum, oppugnantibus viriliter resistebat. Tandem post plures menses, deficientibus victualibus et nimia pressus egestate, compulsus est venire ad dominum suum Regem Lodovicum in Hungariam, qui receptus est ab eo gratiouse, et in signum suae dilectionis dedit sibi castrum de Owar cum suis tenuis et districtu Muson. Cernens autem dictus Rex Lodovicus partem suam illic infirmari, et partem oppositam prosperare, nec, ut credebat, succedebat, celebrato sui consilio ministerio <sup>7)</sup>, vocavit unum de suis principibus, Stephanum filium Laczk, tunc Vayvodam Transylvanum, in armis militibus audacissimum et strenuum, et in rebus ac negotiis habunde disponendi multum prudentem: unde in Apulia exivit de ipso proverbium: tu es homo Victoriosus et sapiens, quasi alter Stephanus filius Laczk; et misit eum cum honesta et forti militia Hungarorum in Apuliam, ut divino sibi assistente praesidio, de suis inimicis vindicaret ac ipsos potenter contereret et humiliaret. Praedictus //<sup>76</sup> igitur princeps, scilicet Stephanus filius Laczk de Hernan unacum filio suo iuvene strenuissimo et audace, sicut prius semper cum suis fratribus Andrea, Michael, Nicolao et Paulo, ac Dionysio et Nicolao filiis suis, coronae sacrae fideles extiterant; ita et tunc praecepto domini Regis per omnia fidelissime se submisit, et ad eius imperium exequendum se ut melius potuit praeparavit.

<sup>7)</sup> Cod. habet: misterio, sine signo abbreviationis.

Anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo  
 igitur, circa festum sancti Michaelis Archangeli, praedictus  
 Stephanus filius Laczk, princeps militiae, licentiatus a Domino,  
 cum comitiva sibi commissa, in qua erat Johannes filius Nicolai  
 Palatini et Stephanus filius Mich Bani, Demetrius de Doby,  
 Nicolaus filius eiusdem Stephani, et ivit in Apuliam, qui duce  
 omnipotentis Dei angelo Mare Adriaticum sine omni periculo  
 transfretavit. Perveniens autem cum tota Hungarorum militia  
 ad civitatem Fodiam, et volentes habitatores ipsius civitatis  
 Fodiae fidelitatem Lodovico de Tarento et Johanna obser-  
 vare, ipsis Hungaris manu armata resistebant. Antedictus vero  
 Stephanus, dux belli sicut miles strenuus, et audax ut leo, cum  
 suis sociis contra civitatem bellum init, et victoria de coelo  
 sibi praestita, inimicos potenter superavit, et potestati domini  
 Regis Hungariae subiungavit, in tantum enim dictam civitatem  
 humiliavit, quod magis erat accrus lapidum, quam civitas  
 praemunita. Deinceps enim ceperunt Hungari, adiuvante  
 domino Deo et Stephani astutia, ubique adversariis praevalere  
 et mirabiles victories exercere in tantum, ut viginti Hungari,  
 vel paulo plus, sexaginta armatos ex inimicis in pugna devin-  
 cerent et sine sua laesione captivarent. Diffusa igitur fama stre-  
 nuitatis Stephani filii Laczk et aliorum Hungarorum, ubique ce-  
 cedit timor eorum super habitantes Apuliam, et usque ad Lo-  
 dovicum et Johannam sceleratissimos haec magnalia perve-  
 nerunt.

Anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono  
 Lodovicus de Tarento (*et*) Johanna exercitum permaximum  
 contra Stephanum Vayvodam, ducem militiae Regis Hungariae,  
 u'rumque potuerunt, conduxerunt, et ducem Werhernum capi-  
 taneum soldatorum, qui a domino Rege, dum esset Nea/<sup>76.b</sup> poli,  
 tali conditione recesserat, ut nunquam contra ipsum, nec contra  
 populum suum insurgeret, fide se constrinxit. Ipsum igitur  
 Werhernum super suum exercitum capitaneum et ducem belli,  
 contra exercitum Regis Hungariae, in civitate Neapolitana sta-  
 tuerunt. Mense igitur Iunii, anno supradicto, exercitus Lodo-  
 vici de Tarento, cum exercitu Regis Hungariae, in die com-  
 muni voluntate ad id per ipsos determinato, inter civitatem  
 Neapolitanam et Aversam bellum inientes, crudeliter et sae-



viliter invicem dimicantes, ubi altissimo Deo adiuvante exercitus domini Regis, multis captivatis et pluribus vulneratis et multis interemptis, ac ceteris in fugam conversis, dictus Stephanus triumphum laudabilem et victoriam solemnem reportavit. Inter quos captivos principales isti fuerunt: dominus Robertus de Sancto Severino, dominus Remundus de Bancio, comes Sancti Angeli, et alii duo comites valde selemnes, quorum nomina in literis eiusdem Stephani filii Laczk domino Regi transmissis habere non potui. Item ducenti milites Neapolitani praeter alios captivos, quorum numerus exprimi non potuit. Nullum dubium est homini fideli, quod per ista omnia et similia sanguis innoxius Regis Andreeae exquirebatur.

Cum igitur hacc ita agerentur, ecce Stephanus filius Laczk venit de Apulia anno eodem, laetitia praecoptata annuntians Apuliensium expugnationem, Lodovici de Tarento et Johannaem omnimodam deiectionem, dicens: Domine Rex! festina occupare Apuliam virtute divina in manus tuas collocandam. Quo auditio Rex Lodovicus, more elephantis ad pugnani robustior animatus, conatu celerrimo, ministerio sui consilii in Buda celebrato, feria secunda post octavas Pascae versus Apuliam Rex egreditur cum dicto Stephano filio Laczk et quibusdam militibus, sua vestigia continue imitantibus et secum commorari consuetis. In festo beati Georgii martyris descendit galeam in Senia et die octavo applicuit in Horconiam, salvis rebus et personis. Tandem in festo beatorum Philipi et Iacobi Apostolorum venit in Manfordoniam, et inde consurgens in festo inventionis sanctae crucis descendit in Barle<sup>77</sup>tum, et inde die tertia, scilicet in festo sancti Johannis ante portam latinam, transivit in Baar, ad limina beati Nicolai confessoris visitanda, et inde rediens in Barletum, fecit residentiam cum soldatis et brigantibus universis. Et ecce in festo translationis beati Francisci venit Lewstadius Senascallus Regis cum multis militibus, portans secum centum milia marcarum pondus argenti et vasa aurea et argentea duo milia, et eo amplius, ac thesaurum nimium, pro Regis honore expendendum. Nec puto obmittendum, quod idem Lewstadius tantam fecit Regi fidelitatem, quod si tantam non adhibuisset diligentiam, totus honor Regius vacillare potuisset. Quem Rex gratantissime recepit, et magnalia sibi pro suo ser-

vitio repromisit. Cum igitur Rex in castro Barleti, in festo beati Antonii confessoris, in suo stratu quiesceret, ecce de civitate omnes Barleti campanas vomiferas pulsare ceperunt universas et clamare: *ad arma! ad arma! viva Rex de Hungaria! viva!* Quod cum Stephanus filius Laczk dux exercitus didicisset, vidit quod omnes soldati contra civitatem insurrexerunt et Regem, cuius argumentum ex eo, quod quinque galeae, quaelibet cum quadringentis hominibus armatis onusta, venit ante castrum Barletense. Quod videns dictus Stephanus filius Laczk, unacum filio suo Nicolao, et Moroczok, et Ladislao dicto Soos, omnes de civitate soldatos exire compulerunt, pluribus eorumdem interfectis et rebus omnibus spoliatis, Wolphardum vero Rex de manibus corum eripuit. Corrardum fratrem Wolphardi cum dictis soldatis abire permisit. His igitur peractis Rex movit exercitum et venit in Casiniam, et inde transiens versus Neapolim, venit die crastina in Esculum Apulianum. Et ecce quidam drombetarius portavit literam Lodovici de Tarento continentem, quod Rex cum eo duellum, seu certamen singulare, deberet committere, quod Rex grataanter accepit, et coram regibus Franciae et Angliae anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo in octava Epiphaniae domini Perusii se dictum certamen pugnaturum spopondit. Dic eodem venit rumor, quod trecenti Teutonici seu soldati iuramento se constrinxerunt, ut Regem Lodovicum die crastino in Neapolim coram Johanna /<sup>77.b.</sup> ligatum praesentarent. Quod (*audiens*) Andreas Nicolai filius Laczk, clam assumta secum familia fratrissi Stephani, cum Dionysio filio eiusdem, de nocte ad Beneventam equitaverunt, et die sequenti, in festo beati Pauli, ante dictam civitatem in campo cum eisdem soldatis horribiliter pugnaverunt et dictos trecentos soldatos potentissime devicerunt, centum et quinquaginta ex eis captivando, alias vero occidendo vel in plagiis letalibus ibidem relinquerunt. Non est dubium, quod dictam (*victoriam*) eidem Nicolao filio Laczk divina misericordia amministravit, quia solum cum centum hominibus armatis et eum quinquaginta pharetris, absque scitu Regis Hungariae, illuc pereixerat ad pugnandum, Johannes vero dictus Besse nyew viceagazo domini Regis duos soldatos virtute propria prostravit et cum tertium aggrederetur, ille viriliter resistebat

et suum equum interemit; videns autem idem Johannes eum suum corruisse, celeriter resiliens ipsum Teutonicum ense nudum aggreditur, licet ab eo in capite graviter vulneratus fuisset, tanien eundem protinus ictibus cumulatis in terram prostravit et caput eius in Benventam reportavit. Praefatus vero Nicolaus filius Laczk antedictos centum et quinquaginta captivos domino Regi in Melphy civitate fortissima honore cum maximo presentavit, et in eius conspectu, more solito, ab omnibus armis eos spoliatos abire confusibiliter compulit ad omnium confusione soldatorum. Die autem sequenti Rex movit exercitum ad unam civitatem in aurora nomine Ricardoch fortissimam, quam Stephanus filius Laczk et Andreas frater eius nemine sciente concederunt; et Ladislau dictus Soos cum Moroczok, ipsos sequens, turrim civitatis principalem ascenderunt et vexillum Stephani, draconem album, erexerunt et fortissime clamantes: *viva Rex de Hungaria! viva! viva!* famuli autem ipsorum super scalam humanam, id est unus scandendo super scapulas alterius, murum ascenderunt et portam civitatis succederunt. Quo facto omnes irruentes Hungari totam civitatem occupaverunt et eiusdem habitatores usque ad parvulos in ore gladii peremerunt, claustrum autem fratrum minorum incenderunt et plures ex eisdem fratribus mortis poculo inebriarunt, et quia erat hoc factum in vigilia nativitatis beati Johannis Baptiste et Rex in pratos sub eadem civitate existens cum suis militibus resedit, et facto prandio ||<sup>78</sup> versus Sallernam civitatem castra movit, et in festo beati Regis Ladislai dictam civitatem Salernitanam Stephanus filius Laczk oppugnando obtinuit. Rex autem civitatem intrare voluit, sed per Stephanum filium Laczk prohibitus fuit, eo quod inimici quidam latenter ibidem existebant. In festo autem Petri et Pauli Apostolorum venit Rex ad Castrum Abbatis, cui abbas resistere conatus est, quem Andreas filius Laczk insidiose comprehendit et castrum occupavit. Die vero sequenti venit Rex ante Aversam, quam expugnare non potuit, sed eam cum vellet expugnare, Denk filius Nicolai de Nerche in tantum extitit verberatus, quod veniens in Hungariam infra brevem tempus spiritum exalavit. Nicolaus etiam filius Ugrini de Wylak muro civitatis appropinquans ictus lapidum accepit, et quasi semivivus ad suum descensum deductus fuit et diutis-

sime aegrotavit. Johannes filius Palatini sagitta percussus vix mortis periculum declinavit.

Cum igitur Rex eandem obsideret Aversam civitatem, contigit, ut in festo sanctae Annae appropinquaret ad murum civitatis et veniret ad eundem locum, unde proiectus fuerat Rex Andreas indecenter iugulatus. Stans super murum quidam laicus et agnoscens personam Regis, mox eum saggittavit, et in sinistro pede gravissime vulneravit. Veniens autem Rex ad hospitium, habens ferrum sagittae in pede, totam noctem duxit insomnem; mane autem facto venit Stephanus filius Laczk cum Wolphardo et in tractu duodecimo vix ferrum extraxerunt. Quantum autem dolorem ipse Rex eiulatu emiserit et clamorem, longum esset enarrare, cum enim vehementissime torquereatur in extraheendo dicto ferro, inter eiulatus supplicabat Stephano filio Laczk: Vayvode! parce michi,“ inquit, quia in omni tractu de suis carnibus dilacerabatur. Caput suum inter brachia sua amplexionaliter tenenti dixit Rex: „Deus scit quod tota anima mea in manibus fratrum minorum est, ideo postquam me mortuum videris, accipe caput et cor meum et porta matri meae, et postquam me amarissime defleverit, sepellias in Strigonio circa sepulcrum Regis Belae, in ecclesia beatae Virginis ordinis fratrum minorum, in qua pro nunc et semper eligo sepelliri;“ cuius probatio manifesta ex hoc habere dinoiscitur, quia<sup>78</sup> b rediens in Hungariam existens incolumis, anno domini millesimo tercentesimo quinquagesimo secundo in Strigonio in Domo Magistri Thomae filii Petri, coram Nicolao filio Iacobi vice-lectisternoris sui, dedit eidem unum cingulum catenarum aurearum de puris quadringentis et quatuor florenis fabricatarum, ut ipsum tanquam ibi sepelliendun, fratres claustris supradicti haberent recommendatum. Extracto igitur ferro, ipsum Regem dictus Stephanus equum iubens ascendere, per gyrum deducens civitatis, voce praeconia praecipiebat brigantibus ut dicerent: Ecce Rex Hungariae, Ierusalem et Siciliae! quo auditio Hungari exultabant, sed et adversarii eiulabant. In festo igitur inventionis corporis beati Stephani protomartyris dominus Iacobus Pynrata capitaneus civitatis tradidit civitatem in manus Regis, quam Rex ingrediens, intravit castrum et mansit ibi usque ad festum nativitatis beatae virginis, in cuius

die crastina egressus est Romam, est convocans ad se universos barones suos et milites sciscitabatur ab eis: quis eorum vellet in Apulia in persona Regis remanere, qui omnes rennuerunt et se singulatim excusarunt. Quod videns Andreas filius Laczk, coram Rege se prostravit dicens: Domine Rex! rogo amore salutis vestrae et intimi servitorum patris mei et fratum meorum; ut me in ista terra relinquas. Quod Rex grataanter accep-  
tavit, et ipsum tamquam agnum in medio luporum dereliquit,  
et cum eo Bartholomaeum filium Laurentii Thoth.

Sic igitur Rex cepit ire versus Romam, et venit in eam in octavis beatae virginis, et ibidem receptus est cum honore; venerunt etiam principes Romani ante ipsum usque duas leucas, clamantes: *viva Rex de Hungaria! viva! viva!* Intrans autem civitatem, tota civitas conduxit eum usque ad gradus ecclesiae beati Petri Apostoli, ubi receperunt eum processionaliter cum omnibus reliquis magno cum honore, et intrans ecclesiam transivit per omnia altaria, flectendo genua. Quali autem honore et reverentia ibidem fuerit receptus, et qualiter permissus fuerit omni die visitare Weronicam, et quanta donaria ecclesiis omnibus et claustris tribuerit, ||<sup>79</sup> superius intueri poterit, qui vult <sup>9)</sup>). Tandem inde reversus venit in Hungariam in festo Crisancii et Dariae martyrum, et venit in Budam, ibique receptus est cum exultatione omnium et laetitia universorum, ex eo quod salvis rebus reversus fuerat et personis.

Anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo pri-  
mo, in festo beatorum Gervasi et Protasi martyrum, egressus  
est Rex de Buda versus Lithwanos et venit in Cassam in festo  
nativitatis beati Johannis Baptiste, et inde egressus intravit  
Craccoviam, et ibi octo diebus repausavit. Tandem venit in Zon-  
domeriam in festo beatae Margarethae, deinde venit in Liblen,  
civitatem in confinibus Lithwanorum, cum omnibus Hungaris  
et Polonis, ibique Rex Poloniae dominus Kazmerius infirmatus  
fuit usque ad mortem, et venerunt omnes duces et barones et  
nobiles, iuramentum (*facientes*) super sancta Dei evangelia,  
quod Regem Hungariae ex nunc et semper in dominum ha-  
berent naturalem et in regem, sic tamen, quod dux Stephanus,

<sup>9)</sup> Locum hunc superius frustra quaesiveris, quod quidem li-  
brum hunc ad nos non integrum pervenisse demonstrat.

frater eiusdem Regis Hungariae, nichil haberet cum eis agere, **nec Teutonici, specialiter Wolphardus et Corrardus, clamantes ad Regem**: Quacunque hora diei aliquem Teutonicum supernos Castellanum statueris, scias nos a domino recessisse. Item nullus nostrum tenetur ad exercitum ire, nisi cum tanto stipendio, quod sufficiat sibi in eundo et redeundo, ac familiae domi remanenti; ad quod Rex se obligavit faciendum. Relico ibidem Rege Poloniae et assumto utroque exercitu polono et hungarico, quindecim diebus transeundo per silvas, venit ad Lithwanos et ibi in confinibus eiusdem regni consistens, misit Moroczok et Koniam filium Thomae Vayvodae et Ladislauum filium Rykalphy, qui venientes ad principes Lithwanorum, remanserunt pro obside. Et dominum Kestutum, principem Lithwanorum miserunt ad Regem, qui veniens Regi se per omnia humiliter submisit, et pacis foedera conscripserunt. Primo, quod dictus Kestutus cum suis fratribus et populis universis vellet baptizari, si a Papa coronam regiam rex Hungariae posset obtinere. Secundo, quod semper vellet ire ad exercitum Regis Hungariae cum propriis laboribus et expensis, sic tamen, quod Reges Hungariae et Poloniae terram Lithwanorum, per Cruciferos occupatam, eis redderent et contra eosdem Cruciferos et Tartaros semper defenderent. Tertio, quod in terra Lithwanorum Archiepiscopatus et Episcopatus et claustra religiosorum ordinarent. Quarto, quod Kestutus cum Rege Hungariae usque Budam veniret et ibi se baptisari permitteret ab eodem. Quinto, quod regna Lithwanorum, Hungariae et Polonorum in omni pacis tranquilitate iugiter permanerent et Hungari abs omni tributo ad regnum Lithwanorum venirent, quantum vellent permanerent et sine omni molestia ad Hungariam redirent. Et in festo assumptionis beatae virginis venit Kestutus ante tentorium Regis Hungariae, videntibus cunctis foedus superius exaratum iuramento lithwanico isto modo confirmavit: quod fecit adducere unum bovem rubei coloris et ligari super duas stipites, et arripiens cultrum lithwanicum, proiecit in bovem et tetigit ipsum in vena mediana, et statim sanguis emanavit largissime, de quo sanguine ipse et omnes Lithwani manus et facies perunixerunt, clamantes lithwanice: *Rogachina Rosnenachy Gospçnany*, quod interpretatur: Deus

ad nos et animal cornutum respice, iuramentum per nos promissum hodie persolutum. Et his dictis caput bovis amputavit, et in tantum a collo separavit, quod ipse Kestutus et omnes alii Lithwani, ibidem existentes, per illam divisionem colli et capitis ipsius bovis tribus vicibus transierunt. Quo facto ad Regem venit Kestutus cum Nicolao Konth filio Laurentii Toth, ex cuius consilio cuncta peragebat, quia ipse Nicolaus Konth tantam habebat industriam et sapientiam sibi divinitus inspiratam, quod ubique veniebat Rex Hungariae, qui ipsum super omnes Hungaros extulerat, semper pacem ordinabat, sicut patet sub Aversa civitate, ubi Rex cum decem milibus armatorum expugnare poterat dictam civitatem, non tamen sine laesione multorum: ipse autem Nicolaus fecit treugas, et civitas se ultro tradidit Aversana; ita etiam factum fuit cum dominis Lithwanorun, ducens etiam dictum Kestutum ad Regem, cui Rex iuravit, quod quamdiu viveret omnem fraternitatis fidelitatem observarent, et sic Rex Leobardum fratrem Kestuti eodem die de com||<sup>80</sup>pedibus absolutum libere abire permisit, quem Rex Poloniae per multorum stragem hominum captivaverat in quodam castro valde forti. Facta praelibatione de dicto loco redierunt versus Hungariam. Cum equitasset Rex tribus diebus, habens secum Kestutum, putans quod Poloni custodiam adhibuisserent Kestuto, ecce in media nocte Kestutus cum suis silentialiter se subtraxit, et ad terram suam rediit, ac Coniam, Moroczok et Ladislaus libere post Regem Hungariae abire permisit, quod Rex Hungariae cernens, se et Regem Poloniae ita fuisse delusos, maxime contristati sunt, sed emendare non potuerunt. Veniens autem Rex Hungariae in Craccoviam, invenit ibi dominum Jaskonem de Cornis iniicum suum, qui depraedatus fuerat thezauros Regis in primo transitu contra Lythwanos, in quem familiares Regis irruentes, et specialiter Petrus Czudar, Nicolaus filius Iacobi, quos tempore depraedationis mutillaverat, et Nicolaus filius Stephani Laczfy ipsum Jaskonem et hospitem suum crudeliter occiderunt, quia idem hospes contra eos Jaskonem nitiebatur defendere. Iste autem Jasko sic crudeliter dimembratus, pro tanto creditur fuisse imperfectus, quia die dominica praecedenti, scilicet in festo exaltationis sanctae crucis, cum

in Cracovia in suo descensu laetabunde cum multis Teutonicis pranderet, venerunt duo fratres minores, qui cum ab eo elemosynam peterent, voce furibunda respondit: Quis ille Franciscus, qui dedit vobis occasionem divagandi? et statim spoliatis eorum cappis iussit eos corizare indecenter per plateas civitatis, induendo eorum habitibus sive cappis fistulares, comminando et fratres poena mortissi non corizarent; sic denuo fratres vero magno eiulatu dixerunt: Jasko inimice beati Francisci! ecce praedicimus, quia propter hanc iniuriam beato Francisco illatam, infra breve tempus turpissima morte morieris. Quod et factum est die tertia post hoc factum, ideo fratres in eorum ecclesia ipsum nullo modo sepelliri permiserunt. Inde igitur Rex venit in Budam in octavis nativitatis beatae virginis.

Anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo Rex Lodovicus in festo Kathedrae beati Petri recessit de Buda versus Ruteniam et venit in Zanak in festo beati Gregorii Papae, et inde, transiens per multa pericula aquarum, venit in Belz, castrum in confinibus Tartarorum, in festo beati Benedicti Abbatis, quod contingerat feria quarta ante dominicam Iudica, et ibi invenit Regem Poloniae cum exercitu valde grandi, expectatisque ibidem sex diebus; et interim nuntiis trengageris frequentatis inter Reges Hungariae et Poloniae ac Drozge castellanum de Belz, repetentes ab eo castrum praenotatum: ipse vero semper treugas faciebat, et sic videntibus cunctis castrum munivit fortissime, et tandem die octava indixit bellum; quod audientes dicti Reges sabbato ante ramis palmarum, non curantes ingenia neque munimenta eiusdem castri formidantes, irruerunt ad castrum, aquam in fossa castri usque ad guttur in armis militaribus transeuntes, et cum appropinquarent vallum, ecce de super sagittatores et balistrarii ipsos crudeliter impetebant, et ligna grandia et lapides in tanta copia proiicientes, quod etiam Lodovicum Regem in capite ictu letali cum malleo ligneo vel calumpertita (?) seu *Swlyok* concusserunt et ipsum ad terram deiecerunt, quem Nicolaus de Peren a terra elevavit et super dorsum suum ultra aquam transportavit. In eodem conflitu dux Ladislaus nepos eiusdem Regis, cum turrim prae aliis ascendisset, galeam eius de capite abstulerunt, et ipsum ad terram deiciendo, usque ad mortem percusserunt, Leusta-

sium etiam filium Lorandi de genere Ratholth, tunc Senascalum Regis et Comitem Simigiensem, cum uno lapide in pectore percusserunt et ad terram deicerunt, cuius percussionis vestigium in suo thorace usque ad mortem extitit luculentum. Symonem filium Mauricii de sub castro semivivum deduxerunt, Nicolaum de Zech et Blasium ac Stephanum Bebek Regis vexillarium fortissime pugnantes, horribiliter vulnerarunt. Nam idem Stephanus in tantum stetit sub vexillo et pugnantium ictus sustinendo, quod tria vexilla regia in eius manibus fuerunt conftracta successive; et cum quartum penitus fuisset conquassatum, et omnes alii ex parte Regis de sub castro recessissent, ipse tandem neque habens vexillum quintum, nec aliquem sibi astantem, ad suum descensum declinavit, non timore inimicorum //<sup>81</sup> neque mortis formidine, sed parentiasibi asistentium sociorum. Sic igitur sub dicto castro usque ad meridiem pugnaverunt, sed nichil profecerunt. In castro, per sagittas Hungarorum trecenti fuerunt interfecti, ex parte autem Hungarorum et Polonorum tot erant vulnerati, quod numerus non extitit. Die vero sequenti, scilicet in dominica ramis palmarum videntes Rex nihil se posse proficere dispositus ad Hungariam remcare. Tamen sibi fuit consultum per dominum Nicolaum Konth, semper pacis amatorem et treugarum dispositorem, virum magni consilii, prae cunctis Regi fideliores, ut cum Drogze, praedicti castri castellano, componeret, et sic ad Hungariam transiret, quod et factum est; exivit enim dictus Drogze et Regi fecit omagium, insignia Lithvanorum de cacumine turrium castri, scilicet capita humana cum nigris piliis, depositi, vexillum Regis Hungariae loco eorum, cunctis videntibus apposuit, quod videntes Hungari, clamaverunt: *Beeke! Beeke!* seu pax, pax. Sic igitur treuga facta, Rex cum quadraginta personis versus Hungariam, ut praedictum est, egreditur, et per aliam viam cunctos vulneratos et currus suos universos abire praecepit et redire; ipse autem cum Moroczok, Nicolao et Paulo filiis Laczk, Dionysio et Nicolao filiis Stephani filii Laczk, transivit, ponens se ad fortunum, per terram alborum Ruthenorum, et die sequenti Lodomeriam appropinquavit, ubi nullum victum necessarium invenire potuit, quia per Tartaros et Lythwanos cuncta fuerant devastata, et inde transiens

venit in Lendniam civitatem , ubi honorifice fuit susceptus , et facto prandio inde recessit , quia periculum erat per Tartaros ibidem congregatos , et venit in villam , quae dicitur Pridiproch , ubi erant duae piscinae , in quibus multitudinem piscium exhauserunt , et inde transiens feria quarta maioris hebdomadae , venit ad magnum fluvium Tartarorum , nomine Olth , cuius latitudo extenditur ad unam leucam gallicanam , cuius impetuositas cunctos exterruit intuentes , exclamantes autem ad Regem : quid opus superet ? At Rex eis respondit : Quod me videtis facere hoc idem omnes faciatis ; et hoc dicto , in suo equo dictam aquam natare cepit , et fratri Jobanni unum equum , quem habuit meliorem , concessit , et ipsum natare secum coegit , quod videntes<sup>81+b.</sup> Hungari universi ad instar anetarum aquam transnataverunt ; tamen quatuor equi et tres homines ibidem perierunt . Die autem sequenti sero venerunt ad flumen Ethel , circa cuius rippam olim Atila natus fuisse perhibetur , cum coetus Hungarorum de Scitia in Pannioniam transmigravit , cuius fluvii periculositatem , et eius transitus impetuositatem vix posset quis enarrare , nam equum rapuit et ascensorem , quod videns Rex , quid faciendum eligeret , omnino ignorabat , quia nulla via navem inveniendi apparebat . Cum igitur ibi pausam facerent tristiferae ; ecce duo Ruteni rumigeruli<sup>9)</sup> advenerunt , dicentes , quod septem milia Tartarorum et duo milia Rutenorum Regem insequerentur Hungarorum , et iam distarent ad decem rastas tartaricales . Quod audiens Rex in nullo timuit , sed exilarascens suos , dictos Tartaros expectare hortabatur : Ecce quod optabamus , habemus , quicunque enim est verus miles , locum habet certaminis et ostend(*end*)i vires suas . Et cum Rex ibidem repausaret , venerunt Ruteni plus quam viginti , dicentes : quod exercitus Tartarorum Regem Hungarorum recessisse audivisset , et contra Kathayam divertisset . Quo auditio Rex aquam transnatavit usque ad crepusculum , et ad unam curiam Dobrauihwzca vocatam , ampne circundatam , devenit , ubi penitus de alimentis nichil invenit . Media autem nocte unus Rutenus curiam incendit , et cum difficultate Rex et omnes sui mortis periculum evaserunt , quia strictissimus erat exitus per unum parvum pontem de curia praenotata . De

<sup>9)</sup> H̄rvivök.

mane autem Rex consurgens, intravit alpes Rutenorum fortissimas, per montes petrosos et nives usque subsellium equorum in multis locis cum periculo transcendendo, et fluvium Zereth septuaginta quatuor vicibus transnatando. Super illis quatuor diebus, quibus in Alpibus equitaverunt, plus quam quadringenti equi remanserunt, quia nil aliud, quam ramos arborum equis poterant invenire, neque homines per totam ebdomadam praeter fabas ad usum gustaverunt, frater Johannes autem lector, cum socio suo ad tantam devenerat famis inediā, quod per se ipsum neque equos suos ascendere poterant, nec de eisdem descendere motu proprio. Tandem in die parascevae, cum multis miseriis et acrumpnīs inexplicabilibus, exivit alpes, et venit ad Bereg in castrum Mwnkach, ||<sup>82</sup> ubi Rex aliquantulum refocillatus, et inde veniens Waradinum pro visitanda limina beati Regis Ladislai, circa cuius tumbam humiliiter sead terram prostravit, Deo et beato Ladislao gratias egit, qui ipsum de faucibus mortis eripiendo, licet laboriose, tamen reduxerat cum sospitate, ibidemque mansit tribus diebus, et ecclesiae beati Regis Ladislai munificentia plura contulit.

Anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, cum idem Rex Lodovicus in crastino beatae Katherinæ virginis venaretur in Zolio, ecce occursu inopinato in sequentibus alpibus occurrit ei ursus feraliter implagatus, quem ipse Rex cum venabulo aggrediens, putabat propter suam audaciam eundem ursum deicere, prout alios tales ursos consueverat deiciendo exenterare; sed novercante fortuna, et propriae reputationis arrogantia impediente, idem ursus Regem deiecit; et utrumque pedem viginti tribus vulneribus sauciavit; et nisi Iohannes Bessenew nutu divino ibidem pervenisset, ursus ferrox et furibundus Regem Lodovicum interfecisset. Sed dictus Iohannes Bessenew, plus Regem diligens, quam se ipsum, periculo mortis se interponendo, ursum Regem invadentem aggrediens, cum suo gladio interemit, et Regem a mortis fauibus liberavit. Tandem idem Iohannes pro illo facto, propter incusantium rabietatem, et specialiter Nowak de Croatia, nullam recepit remunerationem; ipse enim tunc venerat, quando iam Iohannes, dictum Regem liberando, ursum |<sup>83.b.</sup> interemerat praenotatum.

Anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, in festo beatae Annae, misit Dux Austriae ad Regem Hungariae, petens auxilium contra Suevos sibi rebellantes; qui misit Paulum filium Laczk cum quadringentis Hungaris sagittariis. Venientes in Sueviam in crastino beati Laurentii martyris, circa Thulnam civitatem cum eisdem Teutonicis de Suevia horribiliter pugnaverunt. Sed Hungari clamantes: Sancti Reges adiuvate nos! divino favore assistente, tandem victoriam haberunt. Illo die plus quam trecenti Teutonici sagittis Hungarorum perierunt; caderant enim buccati Teutonici sub equis suis ante faciem Hungarorum, sicut boves in macello, erat enim praeceptum Hungaros, ne aliquem eorum caperent, sed mortis poculo cunctos Teutonicos ineibriarent, porrigeabant enim manus suas dicentes: „*O lyeber her foh mych, nycht thewth mych*“<sup>10)</sup>, Hungari autem funesto gladio super eorum capita evibrato, amputabant eis manus et caput dicentes: „*Weztek, kurwanew fya zaros nemeth, Iwttatok werenkewth, ma yzywk thy werthe keth.*“<sup>11)</sup> et sic eosdem crudeliter occiderunt, atque omnes rebelles civitatis Duci Austriae subiugarunt. De Hunis autem in ipso praelio quindecim iuvenes corruerunt. Veniens autem idem Paulus ad Ducem Austriae cum suis Hungaris, permaxime extitit remuneratus, dans litteras ad Regem Hungariae in haec verba: „Vestrae regratiamur fraternitati, quia (*quod*) cum quinque milibus||<sup>8</sup> armatorum facere non potuimus per totum aenum laborando, hoc Paulus filius Laczk cum Hungaris quadringentis obtinuit gloriose: ideo rogamus, ut ipsum Paulum regali munificentia dignemini amplexare gratiose.“

---

<sup>10)</sup> „Chare domine! cape me, non occide me.“

<sup>11)</sup> Locus hic palaeo-hungaricus sic legi debet: „*Vesztek kurvanő fia szaros német, iuttátok vérenköt, ma iszjuk ti vérteket!*“ idest: „Tace scorti fili, vilis germane: bibistis nostrum sanguinem: hodie bibemus vestrum sanguinem!“

---

VI.

LAVRENTII DE MONACIS

HISTORIA DE CAROLO II. REGE HVNGARIAE.

---



AD SERENISSIMAM DOMINAM MARIAM  
HVNGARIAE REGINAM.

PER  
LAVRENTIVM DE MONACIS,  
CANCELLARIVM INSVLAE CRETÆ.

In urbe Zeucana iniunxisti mihi, Serenissima Princeps, reginarum decus inclitum, et tuae præclarum sidus Hungariae, dum me Venetorum Reip. functum mandatis, expeditumque remitteres, ut quae ibi domi forisque temporibus sunt gesta modernis, ad secla ventura scriben lo transferrem. Obstupui in tali aetatula, sextum enim et decimum agebas annum, tam virilem curam, et sublimem conceptum, specimenque tam vetusti et gloriosi sanguinis in tanta animi magnitudine recognovi. Generosi et vere immortalis est animi trans humanum spatiū vitac curas extendere. Vastatrix est omnium vetustas; nulla est tantarum rerum magnificentia, quae, nisi in calami protectionem suscepta, aevō primo non corruat. Adiecisti insuper in supremo colloquio: et non omittas inserere historiae, me Venetorum auxilio captivitatis iugo subductam, libertatem inter meos perditam et iam deploratam, ex insperato inter Venetos invenisse, superque ipsorum armata classe primum, omni funditus eradicata formidine, spem firmam concepisse tantarum fortunarum mearum, reliquiis omnibus præteritae calamitatis abiectis. O mira, et in aeternum memorabilis gratitudo! nisi obsequii notitiam ad posteritatēm traiicias, arbitraris offendere beneficium. Fateor, mirabitur aetas ven-

tura, te regiam virginem in tanto natam et veneratam fastigio, in adhuc crescentibus annis sinistram et indignae sortis acerbitatem senili et invicto animo tolerasse; interque tot aecstus civiles, bellorum strepitus, clandestinas insidias, simultates latentes, odia aperta, insolentissimos mores, rerumque discrimina, saeuentis malignitatem superasse fortunae. Non omnes tamen istae tuae sunt laudes; detrahit partem necessitas, amici et fideles tecum communicant. Ast illum tuum supra aetatem et excelsum, et gloriosum conceptum, et hanc insignem et admirabilem gratitudinem, quae duo a solius animi tui stupenda virtute proveniunt, ampliori laude omnis aevi memoria celebrabit. Sane Maiestatem Tuam non lateat, quod in Italia, et praesertim apud Etruscos, late ferebatur, Carolum Regem Apuliae, ab ambitione Pannonici culminis remotissimum, nil tale meditantem, ad sceptrum Hungariae per Te, et serenissimam genitricem tuam sponte vocatum, et solicitatum, insontem, et proditum ab re, vestris fuisse circumventum insidiis, et vitali lumine spoliatum. Ego autem in Hungaria residens pro mea republica, tempore quo te sacrilegis hostilium servorum manibus intercepta, regnum tuum cruentis regnicularum disceptionibus flagrabat bellorum incendiis, oppositum inveni, dum rei veritatem a fidedignis de industria curiosissime inquisissem. Aegre igitur patiens, in tam dissona et iniqua huius reciprocatione negotii, excusari iniuriam, et innocentiam criminari, dum ad salutem Tui de mandato Veneto saepe repatrior et revertor, invasionem regni Tui et mortem Caroli metrico sermone contexui. Hoc tanti successus hactenus extitit carmen, ut nonnullos eruditissimos viros, Regis eiusdem Caroli zelatores, in contrarium repente mutatis affectibus, in lacrymas pias, tui olim acerbi casus miseratione, compulerit. Transmitto igitur illud Maiestati Tuae, Te, et innocentissimam genitricem, si quid potest, ab infami culpa et procacis vulgi dentibus per secula defensurum. Latiorem historiam mibi a Tua Serenitate commissam, interim, Christo dante, soluto sermone conscribam.

Datum etc.

## PIA DESCRIPTIO

MISERABILIS CASVS ILLVSTRIVM REGINARVM H.  
PER LAVR. DE MONACIS VENETVM.

---

AD EGREGIVM STRENVVM MILITEM DOMINVM PETRVM AIMO INSVLAE CRETENSIS  
CAPITANEVM.

---

DVM tu frena regis Cretae , clarissime miles ,  
Partibus Italiae, et gelidis Aquilonis in oris  
Fortuna omnipotens in reges fulminat altos ,  
In dominos, mundique duces altissimus ille  
Bernabos armipotens, stupor, et tuba magna per orbem        5  
Imperium excelsum mutavit carcere tetro.  
Circumventa sui furia rabieque popelli  
Nutavit domus Estensis ; duo maxima mundi  
Regna tenens Carolus, qui iam concusserat omnem  
Italiam terrore sui, stat cespite nudo                      10  
Frigidus extremo spoliatus honore sepulcri.  
Austrius in bello iuvenis dum pugnat, acerbum  
Incidit in vulnus ; miserando vulnera vitam  
Perdidit infelix, animam cum sanguine fundens.  
Scaliger ille Canis, gestarum gloria rerum                15  
Ceu fulgur quondam populis, est lapsus ab alto  
Culmine, latratus ceciderunt ore superbi.  
Nunc Verona canis morsu lacerata per aevum  
Est vice fatorum anguinea dulcedine sparsa.  
Plaustrifer humana pinguescens cacde tyrannus            20  
Nominis hostis atrox Itali ; semperque lacescens  
Barbariem in Latium, Venetorum sanguinis ardens  
Procubuit solitus iuvenis mandare ; iubetur

- Nunc parere senex. Patavumque reliquit, inerme  
Secum odium, vanamque ferens sine viribus iram. 25  
Horum parviloquo perstrinxi carmine sortes.  
Nam Reginarum Hungariae miserabile fatum  
Cum lacrymis cantare paro ; iuvat altius istud  
Ordiri, et longis animum satiare querelis.  
Pannonicos homines degentes more ferarum, 30  
Barbariem imbellem, indocilem, et squalentibus olim  
Brutorum indigenum vestitos pellibus, orbis  
Sprevit, eos grandis Ludovicus : gloria regum  
Hungariae, ad ritum humanum, ad civilia traxit,  
Aptavitque operi Martis, fecitque tremendos 35  
Gentibus externis, et sidera tangere fama.  
Regnicolas humiles hic fugere fecit in altum.  
Ille casis inopes ad grandia tecta colonos  
Transtulit, arbitrium dans sanguinis, ille propinquos  
Viribus excelsis ad regia scepta levavit. 40  
Extulit et dominos terrarum ex faucibus hostis.  
In summo tandem sua linquens culmine regna  
Migrat ab humanis, geminas stirpisque virilis  
Linquit ihops natas ingratis gentibus heros.  
Scandit inaequali auspicio generosa Maria, 45  
Altera natarum, solium regale parentis,  
Virgineumque caput sacrum diadema coronat.  
Hanc regem appellant animis concordibus omnes  
Regnicolae, illustrant hoc regis nomine sexum.  
Elisabeth Regina parens clarissima natae 50  
Iungitur, et magnas regui moderatur habenas.  
Sic transire placet dum nubilis impleat annos  
Virgo thori ; et Regem faciat Regina maritum.  
Prima palatinus labes et causa malorum  
Editus urbe Gara, pingui tellure locata, 55  
Qua Sava multifido citra praeterfluit alveo  
Altius unda Dravi, rapido qui gurgite currens  
Hungariam illyricis scindens confinibus omnes  
Save tollit aquas, Histrumque potentior intrat.  
Post Regis fatum in t<sup>e</sup> to sublimis honore 60

Hic remanens, mira totum se dedicat arte  
 Reginae obsequiis, pietatis imagine quadam.  
 Sexum ubi credentem, et facilem in sua vota retraxit,  
 Ad libitum exercens extorta licentia sceptrum  
 In grandem invidiam atque odium crudele Garensem      65  
 Elisabethque iacit; proceresque tyrannidis ambos  
 Dum culpant, parere negant, fiuntque tyranni.  
 Spernitur interea dum regis sexus ab ipsa  
 Primorum puritate, gravis discordia surgit  
 Ambitione truci; nam dum petit ille ducatum,  
 Hic vult esse comes; hic banus; anhelat ad altos  
 Nec desert sibi quisque gradus; clam livida serpit  
 Invidia: haec parit acre odium; metus inde barones  
 Dividit: in partes plebs scinditur ipsa malignas,  
 Et regni totis in viscera viribus itur.      75  
 Sanguinolenta novos generat Bellona tyrannos;  
 Phaetontis veluti spreta levitate favillis  
 Ignipedes implere solum: sic pestibus implet  
 Regnum virginei spreto moderamine sceptri;  
 Postquam animus procerum insolita dulcedine captos      80  
 Imperii blandi affectus tenuere superbi,  
 Inveniunt sceleri causas, armisque nefandis,  
 Proque Sigismundo hi vulgant pugnare marito  
 Reginae. Hungariam negat hic parere Bohemo,  
 Francigenamque vocat, se spondet utrique puella:      85  
 Tanta potest procerum discordia sacra suorum,  
 Sic laniant regnum pugnantes nomine regis  
 Incerti, et terras extorquent marto rebelli.  
 Interea Carolum ambitio saevissima carpit  
 Culminis Hungarici; at mentem premit acre duellum.      90  
 Hinc merita ante oculos Ludovici ingentia Regis,  
 Auxiliumque recens dominarum, et sanguis, et haeres,  
 Et diadema datum; trux ambitus aestuat inde.  
 Victa cadit ratio superata cupidine regni.  
 Cum tendant alii votis discordibus esto      95  
 Ad Regis natam, et pugnant de coniuge solo,  
 Ladislaus, Paulus, Stephanus, banusque Johannes

- Ad proceres medio quos Rex de sanguine fratres  
 Extulit, et celsis donavit honoribus altas  
 Committunt a patre datas in pignora vires 100  
 Pro rege Apuliae : superat crudelia fratrum  
 Arma trium immani Paulus feritate togatus.  
 Zagrabiae praesul, caput incentorque malorum  
 Tantorum, ad facinus quodcumque paratior ipsis.  
 His sceleri adiiciunt quem Rex Ludovicus agresti  
 De tuguro, partem vulgi, tenebrisque iacentem  
 Sustulit; et magno Auranae praefecit honori.  
 Et Stephanum Segle ; postquam unio perfida facta est,  
 Pergit in Apuliam truculentus Episcopus, atque  
 Ardentem inflamat Regem, cupidumque fatigat 110  
 Ad scelus. Impatiens Caroli deliberat ergo  
 Ambitus heu terram fatalem intrare, dolisque  
 Virgineum spoliare caput : mox talibus aures  
 Reginae aggreditur castri in penetralibus urbis :  
 Pannonicum iccirco in Regnum carissima coniux 115  
 Decretum est iri, et communem ducere natum,  
 Cui dabo compositis rebus diadema, potensque  
 Italianam repetam ; huic regno spes altera nulla est.  
 Pertulimus duros hac tempestate labores,  
 Perferimusque soror, sed adhuc graviora morantur : 120  
 Hinc Severina domus, hinc summi fulminat ira  
 Pontificis populos inopes, urbesque rebelles,  
 Gallorumque minas, et, quae contraria bellis,  
 Pauperiem taceo ; Hungariae si gentis habenas  
 Attigero, Hungaricis supplebo viribus haustum 125  
 Apuliae regnum ; neutrum vel utrumque paratur.  
 Palluit in verbis tristis Regina mariti,  
 Nec tenuit lacrymas, et sic turbata profatur :  
 Discordem gravidamque dolis, odiisque malignis  
 Ardentem Hungariam mitte, o dulcissime coniux. 130  
 Novimus in medio sceleratae gentis adulti  
 Perfidiam ipsorum, heu genti ne crede bilingui,  
 Reliquias regum Apuliae, et miserere tuorum.  
 Suspecto insidias tibi pars inimica vocantum

|   |     |
|---|-----|
| Semper sollicita, atque indignans tendet, in illos<br>Collectum virus in te conflabit; omitto<br>Reginas dominas; alienam ne pete sortem.<br>Hic tibi debetur sceptrum, cœ magna Tonantis<br>Signa docent, hostem Ottonem qui milite multo<br>Fidentem stravit; qui totam armisque virisque<br>Calcantem Ausoniæ, populis, opibusque superbum<br>Te regnis, animaque tua spoliare volentem<br>Percussit sine marte ducem; qui solus ab alto<br>Innumeros variis dispersit cladibus hostes.<br>Ipse viam Deus inveniens miserabitur ultro. | 135 |
| Interea duros tolerando vince labores.<br>Coniugis haud motus sermonibus, efferat aures<br>Ambitio internis hacrens scelerata medullis.<br>Dumque iterum tentat lacrymans revocare maritum;<br>Foemineis, inquit, non spernam fletibus altam  | 140 |
| Fortunam, quae sponte venit, nec culmine natum<br>Fraudabo Hungarico; iam nos manet uncta galea.<br>Ibinus. Haec fatus vestigia flectit ad urbem.<br>Tunc lacrymae versae in iram, precibusque relictis   | 145 |
| Menadis in morem, aut Timbreæ virginis, amens<br>Insequitur Regina virum clamoribus altis:<br>Quo trahis ad mortem natum saevissime patrum?<br>I solus, si te fati vicinia tangit;  | 150 |
| Hunc saltem moestæ solatia linque parenti.<br>Auxilium populi miserandis vocibus ipsa<br>Implorabo genis laceris, sparsisque capillis.<br>Talia vociferans medium ruitura per urbem   | 155 |
| Saepe repulsa sui, et manibus pulsata mariti<br>Venerat ad portam castri. Rex mandat ab urbe<br>.Arceri Reginam, et pontem ad moenia transit.   | 160 |
| Illa ignita genas tremulas, oculisque favillans,<br>Labraque concutiens, et toto corpore praeceps<br>Instat ad egressum; vix tanto indagine clausus<br>Impete trux aper in lucos evadere apertos  | 165 |
| Aestuat, et capiti exclamat, scelerate satelles,<br>Te faciam pelagi fundum cervice tenere,   | 170 |

- Cum sceptrum attigero, et sceptrum mihi crede propinquat,  
 Ni sinis : et postquam multum frustraque minata  
 Indignata redit sua per vestigia tandem.  
 Mox Carolus iusti stimulis agitatur amoris. 175
- Accipit hinc fletus, hinc iras viscere toto  
 Coniugis ; ante oculos habitu deserta furenti  
 Pervolat, et variae iactant suspiria curae.  
 Conatu in tanto gravis est absentia nati ;  
 Et miseratur amans ; tandem succumbit amori, 180
- Linquere pollicitus natum, ducique parenti  
 Imperat ; erectum veluti de fauce baratri  
 Hunc licet excipiat, tamen angitur, atque mariti  
 Aegra vicem sortemque dolet, cunctisque paratis  
 Digressu extremo dum Rex solatur anhelam 185
- Dulciter, et patrio commendat pectore natos,  
 Sic imo ducens suspiria corde locuta est :  
 Ad caudem heu surda ruis irrevocabilis aure  
 Ilicet ut portus linques, altumque tenebis  
 Inflatis velis, habitum regalis amictus 190
- Deponam, vestesque nigras viduanda parabo ;  
 Morte tua, expectans pavidas quod vulneret auras  
 Nuncius, et moestas terroribus impleat urbes.  
 Regum verba volant ; referet mea fama per orbem  
 Uxoris querulae monitus testata fideles. 195
- Ibis : et hic clauso gemuit Regina palato.  
 Coniuge Cæsareus dotata sanguine navis  
 Hungarico interea potitur ; nec sparsa iugalis  
 Fama thori suspendit iter, minuitque malignam  
 Spem Caroli. Illyricum fato ducente galea 200
- Sulcat, et ut ventum Segnanae ad moenia rupis  
 Nauta iacit ferrum, proramque rectorquæ ad aequor.  
 Inde ibi principibus sceleris convictus, ad urbem  
 Zagrabiani pergit, placuitque hac sistre terra,  
 Donec fama sui Hungariam diffusa per omnem 205
- Ex verbis vulgi, populorum motibus, alti  
 Tentati eventum præiudicet; undique trans  
 Inter ea ambages in regem spargere mittit

|   |     |
|---|-----|
| Foemineum ; interea procerum plerosque subornat,        |     |
| Pollicitisque onerat ; dumque haec scelerata sequestris | 210 |
| Complicibus parat, insidias speculatoris ab omni        |     |
| Parte Sigismundus deserta coniuge fugit.                |     |
| Reginae per legatos an venerit hospes                   |     |
| An hostis, causamque viae scitantur ; at ille           |     |
| Pectoreum gratae pietatis imagine falsa                 | 215 |
| Conatus velare nefas, his inquit in imis                |     |
| Visceribus vigilant Ludovici ingentia patris            |     |
| Obsequia. Hungariam venio componere fractam,            |     |
| Discordes unire duces, et regna sorori                  |     |
| Pacificare meae. Ut visum succedere votis               | 220 |
| Vulgares aures, Budam stipatus inquis                   |     |
| Regnicolis properat ; falso licet ore locutum           |     |
| Reginae credant regni cupidine tractum ;                |     |
| Tanta tamen meritis fiducia pendet ab altis,            |     |
| Ut cogat sperare aliquid, septunque rebelli             | 225 |
| Praesidio, et nimium gratum popularibus illum,          |     |
| Quando vi nequeant arcere, admittere sponte             |     |
| Tutius esse putant ; et ficta fronte dolores            |     |
| Dissimulando graves, adventum ferre tyanni.             |     |
| Ergo propinquanti Carolo solemniter ambae               | 230 |
| Oecurrunt, curru aurato, pompaque superba,              |     |
| Et medium accipiunt, meritorum filia patris             |     |
| Prima memento mei. Elisabeth : Carissime fili           |     |
| Dulce tuum humanum grata, et pietate refertum.          |     |
| Tu linquens regnum et sobolem, sedare tumultus          | 335 |
| Venisti Hungaricos, nostrosque levare labores.          |     |
| Non ego mercedi merita nec laudibus altis               |     |
| Sufocio. Omnipotens pro me tibi talia penset.           |     |
| Ille : Parens reverenda, soror carissima, reddit,       |     |
| Dum calidus nostros agitat spiritus artus               | 240 |
| Magnanimi patris, et meritorum haeredit imago.          |     |
| Ut Buda intrata est, tectis regalibus ille              |     |
| Abstinuit, tempusque dolis, causamque manebat.          |     |
| Arte gubernator sit regni ; hoc nomine castrum          |     |
| Regale ingreditur ; rerumque invadit habenas,           | 245 |

- Moxque velut pacem sancturus, grande sub astu  
 Colloquium edicens, vulgorum seditiosa  
 Colluvie complet Budam : novitatis amatrix  
 Garrula gens, et complicibus seducta per urbem  
 Lubrica latratus iactat : Quonam usque feremus  
 Foemineum regem, cuius levitate fruentes,  
 Masculeoque humilem ludentes nomine plebem  
 Pestiferi calcant popularia colla tyranni !  
 Vidimus hoc regnum respersum sanguine nostro  
 Affatim, et late vastatas ignibus urbes. 250
- Hunc Carolum Omnipotens nobis demisit ab alto ;  
 Huncque marem volumus regem. Dum talia vulgus  
 Praeceps, pene ruens, ad celsa palatia latrat,  
 Indignans rabiem plebis, fraudemque tyranni,  
 Sic ait a vulgo senior venerandus abhorrens : 260
- Ah quantum ingrato pinguescit sanguine vestro  
 Hungaria ; obliiti meritorum Regis, in altum  
 Creta sub imperio genitoris cornua tuto  
 Tollitis in natam nimia pinguedine. Vobis  
 Dum pax, ubertas, et opes fastidia gignunt,  
 Mars ferus, atra fames, et egestas moesta propinquant. 265
- Apuliae populos pacem, sortemque secundam  
 Inconstanti animo libertatemque ferentes,  
 Atque novarum avidos rerum inclinare superbo  
 Praedoni, et tantae dominae calcare ruinam  
 Non puduit ; sua nunc tarde peccata fatentes  
 Mars et dira fames alterna peste flagellant.  
 Destruit hic urbes, haurit cum sanguine censem,  
 Et steriles agros dominorum caede cruentat ;  
 Illa hominum venas, et inania viscera torquet. 270
- Millia per lucos desertis urbibus errant,  
 Et quaerunt avidis silvestres faucibus escas ;  
 Vepribus exutis, et quercubus, atque rubetis  
 Confecti macie veluti simulacra vagantur.  
 Lucidus est pallor, sunt lumina concava, fauces  
 Admotae, lacrymae mille, vox languida, prostant  
 Ceu portentifico cantati carmine. Passim 280

|   |     |
|---|-----|
| Morte cadunt pueri, vulgus miserabile coram<br>Patribus; infantes penes ubera sicca recentes<br>Exhalant animas in primo limine vitae.  | 285 |
| Agmina languentum turbarum littora complent.<br>Parsque peregrinis vendunt sua pignora nautis<br>Fragmento panis; pars se cum coniuge, natis,<br>Et laribus totis, patriosque famelica campos<br>Deserit, et discit tumidis servire patronis.             | 290 |
| Vos miseri graviora manent; sic increpat audax,<br>Magnanimusque senex. At dum populare calescit<br>Flagitium, invadit Carolus, firmatque latino<br>Praesidio portam castri; proceresque repente<br>Congregat; hi raptim Hungaricum sibi tradere sceptrum | 295 |
| Fautorum spondent suggestu, ipsique fideles<br>Assensere inctu. Attonitas discriminante tanto<br>Exemplo aggreditur Reginas nuntius acer<br>Impia iussa ferens, ut cedat nata coronae.<br>Annuit ore parens formidine faucia mortis;                      | 300 |
| Viscera rodentem lacrymosa puella, dolorem<br>Dissimulare nequit, sic apta voce locuta:<br>Nolo refutare, ingeminat, diadema paternum<br>Et mihi jure datum. Hungariam, permittite, linquam,<br>Exul ad expulsum coniux properabo maritum.                | 305 |
| Ast iram exhalat senior Regina remotis<br>Testibus; omnipotens cur non festinat ab alto<br>Vindictam in caput ingrati praedonis, et hostis<br>Foeminei: ille sui reginas sanguinis, altis<br>Ut matres meritis venerandas, culmine sacro                  | 310 |
| Legitimas, soliis didicit depellere avitis.<br>Ante oculos fatum indignum, et miseranda Johannaæ<br>Reginae fortuna venit, quac ex fancibus illum<br>Infantem fati eripuit, dum membra tenelli<br>Obsidis ad mortem, sontis pro crinine patris            | 315 |
| Vir suus iratus peteret; pro talibus illi<br>Abstulit heu meritis regnum cum lumine primo;<br>Ossaque sacrata vetuit consistere terra.<br>Omnia confundens, ius, fas, rectum et pietatem;   |     |

- Nunc sceleri scelus accumulat ; solumque, quod absit, 320  
 Restat ut aequemus violenta morte Johannam.  
 Dum tantas rumpit genitrix miserauda querelas,  
 Filia nil contra ; lacrymarum flumina fundunt  
 Lumina ; multiplicat gemitus rude pectus amaros,  
 Et crebri introrsum singultus verba vocabant. 325  
 Corde puellari , mirum , tantum potuisse  
 Iacturam regni , et tantum licuisse dolori.  
 Ut sopita fuit materni flamma doloris  
 Questibus, illa animo vindictae in imagine toto  
 Alloquitur flentem sedato pectore natam : 330  
 Filia , iam regnum praedo tenet unguibus iste  
 Perfidus ecce tuum, vulgique favore superbus  
 Iam poscit diadema palam , mortemque minatur.  
 Si semel ira tepens trahat ad regalia vulgus  
 Tecta, simul dulci linquamus lumine regnum ; 335  
 Altera in alterius iugulatae, nata, cruento.  
 Nata, furor vulgi transcendit fulminis iram,  
 Et rabien spumantis apri, pelagique patentem  
 Saevitiam ; ingentem dat stragem tempore parvo.  
 Aetas, sexus, honor veniam non invenit ullam. 340  
 Fert humili cervice iugum gens ista superbum  
 Turpiter, aut laniant calcatis legibus urbes.  
 Cede malis venientibus. In discrimin'e tanto  
 Sufficiat servare animas ; ad perdita regna  
 Vita redire potest; cum spe rapit omnia letum. 345  
 Hei mihi, cara parens, ego regis filia vitam  
 Cum regnis ingressa, inter fastigia adulta  
 Regia, praefulgens tanto splendore meoruni,  
 Iamque coronata, et solio venerata paterno  
 Sic vitae annexum sine luce relinquere sceptrum 350  
 Non potero : haec rauca, et confusa voce puella,  
 Veste sinul lacrymis undantia lumina siccans.  
 Tunc iterum simul emittens suspiria mater :  
 Regna, potestates, et opes, quae talia iuris  
 Non sunt humani, ad libitum fortuna ministrat 355  
 Exilium, carcer, paupertas, vincula, luctus,

- Innumerae mortis species, et mille labores  
 Humanae sortis sunt dotes : omnibus istis  
 Te enixa exposui ; vacat expectare parato,  
 Et forti tolerare animo quaecumque minantu: 360  
 Vitae ; glorificant animos adversa potentes;  
 His saepe interea fortuna revertitur alta.  
 ' Haec ubi fata, petit Carolum ; et sermone benigno  
 Est orsa : Hungariam, fili, frenare superbam  
 Foemineum nequit imperium ; cape regna tuorum ; 365  
 In te sceptrum cadunt. Extemplo falsa per urbem  
 Fama volat, patriae natam cessisse coronae.  
 Moenia planities humili iacet alta sub auras,  
 Regalem appellant Albam ; natura tueretur  
 Limosisque vadis calamisque palustribus illam. 370  
 In medio templum surgit de marmore ; Sancti  
 Hoc Stephani illustrat regis venerabile corpus,  
 Qui sacrae ad fidei convertit lunina gentem  
 Hungaricam, extingueens veterum simulaera deorum.  
 Regum habet hoc templum tumulos, patriaeque coronae 375  
 Auspicium ; Hungareos extollit semper in illo  
 Primus honor reges, et pompa novissima templo.  
 Hanc coetu procerum, et turbis popularibus Albam  
 Regalem, et templum hoc Carolus fataliter intrat  
 Letalem infesta rapturus fraude coronam : 380  
 Non quali veteres intrabant agmine reges  
 Pacificis, faustisque togis, sed tristibus armis.  
 Reginae simul ad spectacula dura vocatae  
 Hoc subeunt, patrisque petunt altaria circum  
 Sancta sepulcrale Ludovici in fine capellam. 385  
 Hic dum marmoreae dant oscula moesta figurae,  
 Cor, dulcis fastus, et maiestatis abactae  
 Tristis imago subit ; mensuram culminis alti  
 Tunc miserae agnoscent cum se videre iacentes.  
 Non aliter quam si lapsae de vertice montis 390  
 Suspiciant altum collem de valle profunda.  
 Aggreditur vultus depulso sanguine pallor,  
 Languescent vires, genua intremuere, diuque

- Hac serunt gelido lacrymantia lumina saxo.  
Ut tandem ultrices animus se vertit in iras      395  
Illae odio revocant vires ; mox lumina siccant ;  
Corde tenant gemitus, suspiria pectore claudunt.  
Dissimulant altos simulata fronte dolores,  
Et fanum sublime petunt, ubi veste sacrata  
Stat Carolus, quali cantant per templa Levitae      400  
Verba Dei ; hic proceres summus de more sacerdos  
Strigoni, plebemque rogat, ter voce levata,  
Si Carolus placet in Regem, et ter voce secuta  
Fautorum, in Regem cantatis laudibus illum  
Ungit, et auspicio tradit diadema sinistro.      405  
Non laeti strepitus, non murmura festa sequuntur,  
Et scelerum auctores introrsum spiritus angit ;  
Et Reginarum miseret iam mobile vulgus.  
Insolita est rerum facies, paucique fideles  
Serpere per gladios ardent, iugulare tyrannum,      410  
Et sanctum ingrato templum foedare cruento ;  
Ac simul interitu pulero per vulnera mille  
Ultrices efflare animas in sanguine Regis.  
Ecce autem infaustum Regi mox panditur omen.  
Nam de more sacrae dum post solemnia missae      415  
Regali in pompa procerum comitante caterva  
Rex templum egreditur, ostroque, auroque micantem  
Ascensurus equum ; Stephanique insignia sancti  
Regia procedunt, iam tot servata per annos  
Relligione pia venturis Regibus illud      420  
Missile vexilli, quo freta est auspice dudum  
Prima dies regni, tactum testudine valvae  
Frangitur in partes, dedignatumque tyrannum  
Et Regum auspicio, et sacris regalibus uti.  
Et dum securus Budae male parta teneret      425  
Successu infausto fatalis fraudis ovantem  
Ex alto omnipotens ostentis territat atris.  
Turbine terribili, rapidoque volumine ventus  
Horriter emergit, quantum per secula nulli  
Hungariae meminere senes, turresque superbas,      430

- Elatasque domos Budae vi flaminis acris  
 Conciens tremulare facit, vertitque per auras  
 Culmina ceu voluerum plumas; stridoribus altis  
 Tectorum structura gemit; vix impete tanto  
 In Chaos aeternum redditurum quis putet orbem,435  
 Aut siecos, densosque solum quassare vapores  
 Inventum interno telluris ventre solutos.  
 Iam penes occasum pompac, vitaeque ruinam  
 Per triduum, dictu horrendum, numerosa caterva  
 Corvorum scandit Regis sublime cubilis440  
 Culmen, et horrisono erocitamine sidera, et aures  
 Attonat humanas, versisque in vulnera rostris  
 Mutua, deplumant alternis ictibus artus,  
 Purpureoque nigrae rubuerunt sanguine pennae.  
 Heu regni misericere tui, misericere tuarum.445  
 Fata patent, te signa monent, ostenta minantur.  
 Effuge in Apuliam, et letalem desere terram.  
 Contemplare tuae signum fatale carinae,  
 Quam tu armamentis spoliatam pectore gestas.  
 Quid nisi naufragium pertenditur absque sepulero?450  
 Ardua regna petens sine vi, sine iure parentas.  
 Suleantem sine remigio, et temone profundum,  
 Qui tandem in media perit insepultus arena.  
 In triste angurium feralis turbinis iram,  
 Murmura nigrarum, funestaque bella volucrum455  
 Rex vertit, sentit scelus, et sensisse veretur,  
 Ac metuens trepidare timet mimitantia fata.  
 Interea Elisabeth tanti de vertice fastus  
 Deiecta ultrici dudum succensa furore,  
 Et maiestatis veteris dulcedine tacta,460  
 Atque palatini suggestu impulsa potenti  
 In eadem Caroli coniurat, fraudibus ablata  
 Insidiis revocare parans; mox Ugo Garensis  
 Seu Reginarum captus pietate suarum,  
 Seu dulci imperio, blandaque tyrannide fretus465  
 Ad priscum aspiret tempus, postquam impulit altum  
 Reginam ad facinus, suprema callidus arte

Instruct insidias ; et habet, qui tempore Regem  
 Invadat ferro. Hospitium sol piscis habebat,  
 Quando palatinus famulis stipatus, et armis  
 Eminus ad natae celebrandum pergere vulgans  
 Connubia, ingreditur castrum regale ; recessu  
 Ceu velit extremo Regi inclinare ; sub unum  
 Miserat Elisabeth qui scripta recentia Regi  
 A genero sumpsisse ferat, qui pandat habere  
 Secrcta. Infelix Carolus caligine tetra  
 Peccati obsessus thalamo descendit ab alto,  
 Atque ubi perveniebus illum regina manebat,  
 Et coniurati, sub veste latentibus armis  
 Infernis, penetrante subit, comitatus et ipse  
 Regnicolis, comite Albrico, turbisque latinis.  
 Consilio Hungarico Italicas cedentibus ultro  
 Rex iuxta Elisabeth fabricantem verba sub astu  
 Intentus sedet ; occasum iam sole tenente  
 Respicit obliquo Garensis lumine Blasium  
 Astantem, tantam qui rem susceperebat audax.  
 Ille dato signo rutilantem fulminat ensem  
 In Regem incautum ; ferri splendore citatus  
 Reclinat tergum, et resupinis vultibus ictum  
 Sicut erat refugit, qua fronti tempus adhaeret,  
 Atque supercilium cum lumine vulnere magno  
 Lamina trux penetrat ; siluit, virtute dolorem  
 Ille premens alta ; repetentem vulnera banus  
 Sed clamore ingenti, et nudo intercepit ense.  
 Effluit interea Carolus, solitumque cubile  
 Aeger adit, longo vestigia sanguine signans.  
 Hunc paulo ante diem, mirum, dictuque tremendum,  
 Torserat a latio sublimi pastor in illum  
 Fulmen Apostolicum, suspensum tempore longo.  
 Rex postquam clapsus nullo discrimine vitac.  
 Iurati titubante gradu formidine caeca  
 Percorsi diversa petunt, et habere sequaces  
 Ausonios in terga putant. Regina revertens  
 Deficit, in mediisque cadit penetralibus amens.

470

475

480

485

490

495

500

|  |     |
|--|-----|
| Extra autem Italici sub divo tecta manentes      | 505 |
| Ut circumventum fuso iam sanguine Regem          |     |
| Insidiis hausere suum, seseque sine armis        |     |
| Hostibus in mediis; vicina nocte recedunt        |     |
| Extemplo, ut redeant armis animisque potentes.   |     |
| Facta hominum, et rerum momenta in cardine parvo | 510 |
| Vertuntur; paulum Italieis cum fronte moratis    |     |
| Rex fato eruptus solio mansisset in alto,        |     |
| Et coniurati poenas tunc forte dedissent.        |     |
| Illa tremenda Deum sententia vertit ab illo      |     |
| Auxilium frustrata hominum; nam pondere magno    | 515 |
| Praecipitant caedente Deo sua crimina; quemque   |     |
| Illicet ultores egressis sponte Latinis          |     |
| Invadunt acres, reparantque satellite castrum    |     |
| Hungarico. Carolus sublato poste cubilis         |     |
| Tollitur, et turri servandus traditur aitae.     | 520 |
| De genere humano heu quantis fortuna triumphat   |     |
| Ludibriis; Regem nunc turris carcerat, in qua    |     |
| Excubias nuper vigilantes tantus habebat.        |     |
| Albricus rediens septus Latialibus armis         |     |
| Ut vidit captas arcis, castrumque corona         | 525 |
| Vallatum Hungarica; Caroli sub nomine Regis      |     |
| Esperio totam decurrit milite Budam.             |     |
| Ut nullos videt extra, clam sub nocte profunda   |     |
| Effugit indigenis comitantibus atque Latinis,    |     |
| Fautores qui Regis erant; nec segnius ante       | 530 |
| Lucem finitiinis Reginae gentibus implent        |     |
| Castrum: ut contraetae vires, et Delius umbras   |     |
| Aureus humentes pepulit, clamoribus altis        | .   |
| Ultores implant Budam, regnare Mariam;           |     |
| Irrumpuntque domos Italum, praedaque latina      | 535 |
| Vindictam inficiunt. Sors aspera linea secum     |     |
| Lumina fert semper. Carolus quem merserat olim   |     |
| Blanda secundarum rerum caligine bifrons         |     |
| Rebus in adversis emergit; qualis ab alto        |     |
| Excutitur somno, quem ludunt somnia, pauper.     | 540 |
| Nuncque potentatus umbras videt esse fugaces,    |     |

- Atque superba loco fastigia stare trementi.  
 Et stupet obductum se nube a tanta fuisse.  
 Rex Visingardi celsas servandus ad arces  
 Mittitur ; hic vulnus dum curat, iamque salutem        545  
 Aspicit, heu trepidam, moestamque relinquere vitam  
 Faucibus clisis, et respiramine clauso  
 Cogitur infelix ; inhumata sub aetheris axe  
 Membra tenent, prohibentque locum contingere sacrum  
 Qualicunque licet tumulo : felicior illo        550  
 Apuliae Regina fuit ; sunt ossa Iohannae  
 Iam patrii cineres. Caroli sed funus olenem  
 Exhalans tabem peregrinas inficit auras.  
 Nunc quid opes, quid regna tibi, quid profuit alias  
 Reginas sceptris spoliare potentibus ! Ecce        555  
 Hen dolor, heu levis ad dandum tam grandia regna  
 Urbibus ex tantis, eadem nunc illa sepulcrum  
 Omnipotens fortuna negat, per secula magnum  
 Exemplum acrumnae humanae, et miserabile carmen  
 Certe eris, ac speculum, et documentum Regibus ingens. 560

Deo gratias Amen.

---

VII.

MARTINI ARCHIDIAC. DE ZAGRAB.

IVDICIVM DE COMETA A. M. CCCC. LXVIII.

---



<sup>1</sup> Iudicium de Cometa, qui apparuit Anno domini Mo. CCCC. 68., vicesima secunda die mensis Septembris, in civitate *Hystropolitana* alias Posoniensi, pro Serenissimo principe et domino domino *Mathia* Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rege compositum.

Cum Tuam neverim Maiestatem, Serenissime Princeps! nichil magis exoptare, quam salutem tuorum regnorum, quorum curam et gubernationem Deus omnipotens ad tempus tuis demandavit manibus; decrevi ego iudicium rectum futurorum cometis, qui praesenti anno in Septembri apparuit, adiutus doctissimorum astrologorum sententiis annactis experientiis Tuac Serenitati describere, tamquam domino meo singulari, et huius incliti regni Hungariae principi excellentissimo, ac christianaee religionis defensori dignissimo. In quo quidem iudicio, ut legendo Tuac Maiestati patebit, non tantum praedico futura accidentia Maiestati Tuac sic, verum etiam mortem celerem sceleratissimo Haeresiarchae Georgio de podobras, qui se pro Rege Bohemiae gerit, Romanae ecclesiae ac orthodoxae fidei hoste acerrimo, cum quo Tua Maiestas bellum pro fide catholica anno praesenti incepit agere. Ex quorum omnium cognitione quia novi Maiestatem Tuam plurimum voluptatis esse capturam, tamquam cognitionis omnium rerum ardentissimum iocunditatis honorem loeo muneris Tuac Maiestati offero: cum apud me hiis temporibus non sint, que Tuac Maiestati fore iocundiora michi persuadeam.

Cometes qui, ut dixi, anno praesenti, videlicet Mo. CCCC. 68. vicesima secunda die Septembris in civitate *Hystropolitana* circa medium Ursae maioris visus est, sed quidam

asserebant ipsum vidisse tribus diebus ante quod erat possibile: nam die nona decima eiusdem mensis maxima et fortis duorum superiorum fuit configuratio, quae, ut communiter in novem annis semel contigit, tetragona vel retrogradatio, videlicet Saturni ad Iovem raditio, licet aliquando propter eorum, retrogradationem bis aut ter etiam uno anno soleat contingere. Et sic creditur, quod circa pedes anteriores Ursae maioris hic cometes primum apparuit. Sed cum pedes anteriores dictae Ursae nostris temporibus circa principium Leonis per numerorum tabulas reperiantur, ideo et cometes circa principium Leonis primum apparuit, Iovi secundum longitudinem coniunctus,<sup>12</sup> qui postea totum signum Leonis, ac totum signum Virginis proprio motu suo infecit. Sed ut contenta in iudicio facilius intelligi atque memoriae commendari valeant, praesens iudicium divido in quatuor partes: In prima quid sit cometes, et quae generatio ipsius, et quae constellations coelestes hunc cometem apparere fecerunt; in secunda, cuius planetae is noster cometes habet complexiones; in tertia quid mali polliciatur huic mundo inferiori; in quarta et ultima quando maior erit suspicio apparitionis dictorum malorum, et quantum durabunt, et quae terrae vel provinciae aut regna magis debeant timere praedicta mala.

*Particula prima.*

Quid sit cometes? Praetermissis omnibus opinionibus veterum, quas philosophus primo Meteor. capite 4º sufficientissime improbavit, dico cum philosopho, quod cometes est exalatio terrestris siccata et calida, parum viscosa, virtute Solis et astrorum ad supremam regionem aëris elevata. Nam Sol et cetera coelestia corpora duo inferiora elementa transmutare solent segregando ab eis, et praecipuo atrae quamdam materiam fumosam partim calidam, partim sicciam, et partim humidam ad non tam sicciam, quae materia segregata virtute coelestium corporum in suprema per infimam aeris ad infimam ignis regionem elevatur. Et quod talis materia sit secundum partes suas siccias, humidas et viscias subtiliter commixta, et fortiter ad

invicem compacta, ex qua subtili commixtione de facili efficietur inflammabilis; et a medio circumstanti excellenter calido inflammatur, et inflammata stella cometa vocatur. Et haec est generatio ipsius cometis. Sed quae coelestis constellatio hunc nostrum cometem anno praesenti apparere fecit, dicamus auctore *Allumasar* in libro coniunctionum, tractatu octavo, capite primo, quem ut implurimum in hoc loco secuntur astrologi, quod apparitio stellarum comas habentium non seitur, nisi ex dominio Martis in annis coniunctionalibus. Et quoniam Mars in anno domini Mo. CCCC. 64., quo erat Saturni et Iovis in sexto gradu Piscium coniunctio, unacum Iove dominum obtinuerat, uti alias astrologi in iudiciis anni illius sufficientissime declararunt. Sed cum effectus illius magnae coniunctionis nondum completi sunt; et ascendens anni illius, videlicet Mi. CCCCi. 68., idem est cum ascendentे coniunctionis prae nominatae; practerea anno praesenti profectio ascendentis anni coniunctionalis pro ve . . . (?) <sup>3</sup> ad corpus Martis, qui erat dominus anni illius amplius anno praesenti Iovis et Martis initio Canceris, erat corporalis coniunctio, quae sola dum contingit, secundum *Haly* aliosque astrologos, cometem generare solet. Ideo auctoritate Ptolomaci in Centiloquio verso 64to, videlicet in coniunctione minori est distinctio coniunctionis mediae. Et etiam anno praesenti Mars cum Iove, qui anno coniunctionis magnae novissime praeteritae dominabantur, effectus suos debebant ostendere, praccipue ex quo Iupiter, qui in illa coniunctione Saturno fortior extiterat, primae medietatis anni istius gubernator compertus est. Generavit itaque anno praesenti Iupiter cum Marte multa in aere tonitrua, cum sine Iove et Marte non fit tonitru, ut dicit regula astrologorum, atque plurimas ignium coruscationes, et multa fulmina, per quae ipse Iupiter non parva dampna in hoc regno Hungariae, cuius ipse gubernator extitit, effecit. Et tandem, dum hii, qui anno domini Mo. CCCC. 64. corporaliter coniuncti fuerant, se tetragono aspiciebant radio, cometes apparuit, quem Mars cum Iove, qui anno coniunctionali praefuerant, apparere fecerunt. Et haec erat causa efficiens illum nostrum cometem.

*Particula secunda.*

Cuius planetae hic noster cometes habebat complexio-nem , particula secunda dico breviter, quod hic cometes sunt naturae Saturni, qui vocatur niger. Erat enim parvus corpore, colore caeruleus , caudam versus polum porrigens, quae quidem conditiones sunt cometis , qui niger appellatur. Nam secundum Ptolomaeum , verso ultimo Centiloquii, illa stella, quae dicitur nigra , est de natura Saturni, et est parva, color eius caeruleus. Hoc idem dicit *Leopoldus de Austria*, tractatu quinto, capite de Cometa , et Plinius. Cometa niger de natura Saturni appetit caeruleus comam versus septentrionem ex-tendens. Constat autem omnibus , qui ipsum viderunt, quod erat corpore parvus , imo minor quam aliqua ex septem stel-lis in Ursa maiore constitutis, colorem habuit caeruleum. Unde color caeruleus non est omnino niger , nec albus, nec viridis, sed ex hiis mixtus , uti est color maris , qui ipsum mare vide-runt. Concluditur ergo hunc cometem fuisse de complexione Saturni, cum colores, niger videlicet et viridis, sunt saturnini.

*Particula tertia.*

Quid mali is cometes pollicetur huic mundo inferiori, par<sup>4</sup> ticula tertia. Quoniam secundum Ptolomaeum parte se-cunda cap. 9. cometes, dum apparent, quam plurimos effectus in hoc mundo inferiori solet (sic) inducere, dicit enim : Item convenit ut caudatas stellas, quae hora eclypsium , vel alte-rius temporis, apparuerint, observemus, nec non et alia futura universalia ut sunt illa etc. Et continuat : quoniam praelia, combustiones , et qualitates quac res movere faciunt, et acci-dentia, quac per eas fiunt, operantur. Et ultimo capite dicit : Omnes stellae caudatae signant ventos et aëris siccitatem. Et Hali illam reddit rationem , quoniam omnes tales fumosae sunt etc. Et cum quibus omnes tenent astrologi, et dicunt quod omnes cometes generaliter haec quatuor significare solent : mortem regum et principum , status utriusque bella, famem, et permutationem regnum. Et Johannes Damascenus dicit :

Cometes adeo fieri ad signandam mortem regum etc. Sed cum hic cometis noster sit naturae Saturni, ut dictum est, significat secundum Ptolomaeum verso Centiloquii ultimo, mortalitatem multam hominum, decolationem. Et secundum Leopol-dum, mortalitatem et famem. Et secundum Plinium et Homerum significat mortalitatem regum, destructionem vulgi, dies nubilos, et tenebrosos ac frigidos, annihilationem Iudeorum, caristiam et regnorum permutationem. Et quoniam, ut superius diximus, is cometes in directo signi Leonis apparuit, significat secundum *Albumazar* tractatu quinto de magnis coniunctionibus . . . . . septima pugnam inter reges cum multa sanquinis effusione, et mortem quorundam nobilium, et accidet quibusdam hominibus passio stranguria, non posse min-gere, et dolor ventris, et cadet aegritudo in lupos, et rabies in canes. Et idem in libro florum capite ultimo, Quod si appa-ruerit in Leone stella seu cometa caudata, significat infesta-tionem luporum et impedimentum hominum ab eis, et casum vermium in triticum, et destructionem domorum, et substaniarum. Item secundum Homerum et Hali cometes in Leone significat bella inter reges, et magnam sanquinis effusionem, mortem nobilium, dolores oculorum, strangurias sanquinacias, et rabiem luporum, et confirmatur maxime luporum et canum rabies praesentia cometis cum signo Ursae maioris. Dicit enim Ptolomaeus parte secunda, capite septimo : Si ferarum simili-tudinem gerunt signa, circa quae est eclipsis, vel cometis in feris silvestribus, quae nocent hominibus, accidens eveniet. Et quanquam <sup>15</sup> Sol in generationem cometis multum opera-tur, quoniam ipsae vapores in terra elevare solet; sed cum ipse tempore inflammationis cometae in signo Librae consti-tutus erat, ideo secundum Homerum dico de cometa : Si co-meta in aliquo loco apparuerit Sole in Libra existente, signi-ficat rixas inter Christianos, paucitatem aquarum, mortalita-tem atque caristiam. Et *Albumazar* quinto de coniunctionibus magnis . . . . . 7-a : Aspiciebuntur equi et camelii cum guerris advenientibus in terra Romanorum. Et significat bella et mortem quorundam regum, et servos contrarios dominis suis, cum mediocritate fructuum, praeceipue ex quo hic come-

tis tam ante Solis ortum , quam post eius occasum, apparuit, et quoniam saepenumero cometas terrae motus sequi solet, ut dicunt philosophi et astrologi. Nam quum materia ex aqua cometis generari solet a superficie terrae per calorem Solis et stellarum usque ad supremam aëris regionem elevatur ; tunc contingit poros, aut ratione intensi frigoris vel siccitatis, aut alicuius alterius causae recludi ; quare vapores in terrae concavitatibus sic reclusi adeo agitantur, ut eos terram rumpere necesse est, et rumpendo terram moveri seu tremere faciunt. Et dicunt astrologi , quod sicut cometis occidit reges et principes , ita et terrae motus facere solet. Omnia enim, quae signant cometam, etiam terrae motum significant. Et est conclusio Hali. Sed et illud dupli experimento probare possumus. Nam anno domini Mo. CCCC. 44-to infra octavas ascensionis domini in regnis Hungariae et Poloniae erat terrae motus ; et post codem anno circa festum beati Martini Wladislaus de igratia felicis memoriae praedictorum regnorum Rex, cum multis baronibus per Turcos est prostratus et interfectus. Similiter contigit illustrissimo principi domino Alfonso Aragonum et Apuliae Regi, cuius mortem, et Papae Calixti, immediate maximus terrae motus praecesserat, qui erat in Apulia originaliter. Nam ibi nonnullae civitates et castra per terrae motum subversae sunt, et in profundum maris praecipitatae. Qui quidem terrae motus cometam, (qui) in anno domini Mo. CCCC. 46. apparuit, sequebatur. Sic et hunc cometam nostrum sine dubio terrae motus sequetur in locis signo Leonis subiectis. Nam dicit Ptolomeus parte secunda capite 7-mo, hic autem quod ex figuris avium silvestrium versus partem septemtrion(al)em ponit subitaneas terrae muta<sup>e</sup> tiones proprie significat . . . Si fuerit aliqua eclipsis vel cometis circa figuram animalium silvestrium versus partem septemtrion(al)em existentium , significat terrae motus , castrorum ruinas, villarum desolationes etc. Constat autem quod hic cometis fuit versus septemtrionem et cum figura animalis silvestris , quoniam cum Ursa maiore et in Leone: ex qua autoritate Ptolomaei concluditur, quod hunc cometem sequetur terrae motus atque castrorum et civitatum subversio , praecipue cum Leo

sit signum fixum Dicit etiam Ptolomaeus in eodem capite : Si fuerit scilicet eclipsis vel cometis in signis fixis, in fundamentis et aedificiis futura contingent. Item anno practerito in regno Croatiae multis vicibus fuit terrae motus maximus, praesertim in dominio Comitis Martini, ita quod fere omnes ecclesiae ruinam passae sunt; qui quidem terrae motus illi parti regni Croatiae multa dampna inducit in proximo, et domino ipsius Comiti Martino mortem et periculum maximum. Colligamus itaque ex prachabitis omnia accidentia, quae is cometes inducere promittit, hoc est mortalitatem multam nobilium, mortem regum et principum, maxime horum qui iam annos ingressi sunt, bella inter reges cum effusione sanquinis, hominum decollationem, regnum permutationem, vulgi destructionem, Iudeorum annihilationem, dies nubilosos, tenebrosos et frigidos, casum vermium in triticis, caristiam victualium et famem, civitatum, castrorum et aedificiorum ruinam, terrae motum, passiones hominum longas saturninas, ut sunt : phthyses, catarri, febres quartanae, stupores, tristitia, timores, Item et strangurias sanquinarias, dolorem oculorum et ventris, rabiem lupis et canibus, qui multos laudent homines, et servos suis dominis rebelles facient.

---

Et quoniam de hiis multis generaliter dictum est, restat nunc ut specialiori modo dicatur, et certae personae nominentur, quae magis praedicta timere debent accidentia ; hac dimittat, quarum nativitates vel inthronisationes michi notae sunt. Et prius quam nominentur, pro fundamento sequentium accipendum est verbum Ptolomaei penultimum in Centiloquio, illud videlicet : Si appuruerit cometis in angulis alienius regni, rex vel homo potens morietur in illo regno. In succenti destruentur thesauri eius, et rex mutabit consiliarios suos, et si in eadentibus fuerit ab angulis, multiplicabuntur carceres et infirmitates, eri<sup>7</sup> tque mors eorum quam maxime subitanea. Et accidet hominibus illius climatis detrimentum in consiliis. Item Ptolomaeus in fine capituli 8-i. secundae partis quadripartiti dicit : Accidentia vero generalia frequentius

accident hominibus, in quorum nativitatibus loca necessaria, vel loca in quibus luminaria sunt, et loca angulorum sunt loca rerum, quae sunt occasiones accidentium generantium, loca eclipsium vel eis opposita. Hoc autem tunc erit gravius et ad praeceavendum difficillimum, cum ipsae caedem partes locorum eclipsium erunt partes locorum unius luminaris. Haec ille. Et quidquid in hoc loco Ptolomeus loquitur de eclipsibus, hoc etiam de cometis intelligere debemus, prout ipse Ptolomeus Met. ult. capite 9. Et Hali commentator ibidem, quoniam cometes ita bene sunt occasio accidentium generantium sic ut eclipses; item quod cometes in signo potentissimo, videlicet in Leone inflammatus est, potentissimis minatur, et circa Iovem, qui secundum Hermetem magnorum hominum et iudicium est significator, is et accidentia in his fortius apparebunt.

*De Paulo Papa Secundo.*

Suppositis ergo his tamquam pro fundamentis sequentium, dico quod Sancto Domino nostro Paulo Papae Secundo hic cometes minatur mortem, aut saltem infirmitatem saturninam, vel in regimine periculum. Patet primo, quod apparitio cometis fuit circa Iovem principalem, dominum supernarium; secundo quod cometes apparuit in domo decima electionis ipsius; tertio quod Sol tempore apparitionis ipsius conuictis fuit in signo in quo et erat tempore coronationis Sanctitatis Suae; quarto quod cometes apparuit in signo ascidente geniturae ipsius; quinto quod cometis apparuit in signo terrae, cuius Sanctitas Sua dominus existit, videlicet Ytaliae, et praesertim urbis Romanae, in qua Sanctitas Sua moratur.

*De imperatore.*

Invictissimo Romanorum Imperatori Friderico hic cometes periculum non parum pollicetur. Nam apparuit in signo Leonis, quod secundum Homerum Imperatorem aspicit Romanorum. Item quod signum Leonis aspicit Austriam, provinciam quam Maiestas Sua inhabitat, et eius dominus existit.

*De Rege Hungariae.*

Serenissimo Domino nostro Mathiae, Dei gratia Regi Hungariae, Dalmatiæ, Croatiæ etc.

Is cometis hoc praetendit : sentiet Serenitas Sua dampnum in civitatibus, castris, et villis, sed et in substantia percipiet notabile, cum eam, quam habebit, exponet in rebus belli, videlicet nam tempore coronationis signum Leonis, in <sup>18</sup> quo fuit cometes, domum quartam occupaverat, quae est civitatum, terrarum, castrorum et villarum ; praeterea hora vibrationis gladii Serenitatis Suae signum Leonis domum substantiae occupaverat, quod Mars radio tetragono transradiaverat, propter quem radium tenebat Serenitas Sua, ne aliqua vulnera martialia incurrat.

*De Rege Franciae.*

Christianissimo Ludocio Dei gratia Regi Franciae.

Hic cometis etiam magnum praetendit dampnum in corpore aut in regimine regni sui : nam ipse apparuit in angulo decimae domus tam genituræ, quam etiam coronationis suæ, præcipue cum regnum ipsius, videlicet *Galliam*, signum Leonis, ut dicit Ptolomaeus, aspicit.

*De Rege Polonie.*

Illustrissimo Principi Kasimiro Dei gratia Regi Poloniae.

Ilic cometis minatur malum et dampnum maximum in substantia, et in consiliatoribus, et familiaribus ipsius, quoniam cometes apparuit in domo undecima coronationis Maestatis Suae, Luna domina decimæ tunc in Leone existente. Ideo secundum versum Ptolomaci tertium in centiloquio, illud videlicet impedimentum decimæ domus et eius domini inthroni-

sationis Regis significat malum consiliatoribus et familiaribus suis, et impedimentum substantiae. Sed maius Maiestas sua percipiet dampnum in filiis. Nam Kasimiro filio suo secundo hic cometis mortem praetendit, sed non tantum cometis quantum deiectio hilech in nativitate ad corpus Saturni. Item Allexio et Friderico promittit malum: si non mortem, saltem aegritudines saturninas, isti enim in genituris eorum Leonem in ascendentे habuerunt.

*De Rege Apuliae.*

Serenissimo Principi Domino Ferdinando,  
Apuliae Regi etc.

Hic cometes multa mala promittit propter apparitionem cometis in signo Leonis, quod Apuliam et Siciliam regna ipsius, et Neapolim civitatem eius capitalem aspicit.

*De Rege Aragonum.*

Illustrissimo principi Regi Aragonum aliquod malum, forte mortem, cum sit antiquus, signatis cometes, quoniam ipse praecise in linea decimae domus coronationis suae apparuit.

*De Turco maledicto.*

Machumeto II. Beglerbeg, Turcorum Imperatori iste cometis plurima promittit infortunia, et forte mortem, quoniam Turciam, quae est ultra mare, Leo aspicit, sed et ipsius ascendens geniture Leo occupaverat.

*De Haeretico Bohemiae.*

Item vitet, si poterit, mortem, condemnatus haereticus Georgius de bodabras, qui se pro Rege Bohemiae gerit, cuius ascendens  $\frac{1}{9}$  hora coronationis eius signum Leonis possederat, quod Regem Bohemiae aspicere fertur. Sed et Rokizana Bohemorum seductor per hunc cometem viriliter interficietur. Et illi regno Bohemiae audacius praenominata possumus adiudicare accidentia, moti experientia antehabita. Nam Anno Domini Mo. CCCC. 10. apparuit cometis naturae Mercurii prope

Iovem existente in Leone, qui quidem cometis Bohemiae Regem inclitum Wenceslaum nomine interfecit, et sectam malodictam condempnati Wiglechi per magistrum Iohannem Hus et Jeronymum in ipso regno Bohemiae seminavit. Quae et quanta post hoc bella secuta sunt, quot ecclesiae dirutae, quanta cleri persecutio, omnibus manifestum est. Sed cum is cometes naturae Saturni in Leone et circa Iovem fuerit inflammatus, illius haeresis magis exterminationem quam corroborationem practendit. Saturnus enim Mercurio in motibus et in aliis contrariatur; et ideo accidentia praeponitata magis in regno Bohemiae, quam in aliquo alio apparere concludimus. Nichilominus hic cometis in aliquibus provinciis seminavit novam sectam naturae Saturni mixtam, quae habebit plures ceremonias Iudacorum legis, quam christianorum. Cometis enim cum Iove sectam novam inducere solebat.

---

Et nemo hic debet admirari, quod tot principibus mala praedixerim; Leo enim est signum potentissimum, quod quotienscumque in genituris hominum prima loca possidet, non nisi potentes facit homines et principes.

Et hi sunt reges, quibus is cometis nocere promittit. Quodsi fuerint aliqui alii principes utriusque status, qui in aliquo angulorum nativitatis Leonem habuerunt, sine dubio iuxta Ptolomaei fundamenta praehabita aliquid mali sentient, magis tamen hii qui in terris Leoni subiectis habitant, et magis hii quorum domum decimam Leo occupaverat, quam quorum domum primam vel alios angulos.

*Ratio.* Hic enim cometis nunquam occidebat in regionibus latitudinem 36 graduum maiorem habentibus, et ideo nunquam in prima domo, nec in aliis sub terra constitutis erat domibus; sed nec supra orizontem cum Leone, nec in domo decima esse potuit. Sic hiis, qui in domo decima Leonem habuerunt, et maxime tertiam faciem ipsius, aut primam Virginis, magis erit impedimentum quam aliis; ursa enim maior cum hiis faciebus coelum mediat.<sup>¶</sup> In qua sunt plures stellae secundae magnitudinis, natura Martis, quae quo cienscumque

medium coeli in genituris hominum possident, homines sub tali constellatione natos facit magnos, potentes, divites, mentis adornatos honoribus, et dignitatum officiis, et qui apud vulgus bonae exstant famae, quos iste cometis aliquos ditat vita, aliquos honoribus et officiis, ceteros divitiis, nonnullos fama bona privabit, et multos faciet cadere in iram Regis.

*Particula quarta.*

Quando maior erit suspicio apparitionis dictorum malorum, et quantum durabunt, et quae terra vel provincia ac regna magis timere debeant praedicta mala? Particula ultima.

Pro inveniendo tempore apparitionis accidentium futurorum habemus manifeste textum Ptolomaei parte 2. cap. 9., ubi dicit: Ex quantitate vero temporis illius temporis quod tunc appareat spatium futuri sciamus ex eorum etiam affinitate cum Sole, quota hora futurum incipiat, indicabitur. Nam cum mane magis apparebunt, subito futurum eorum eveniet. Et cum magis apparebunt in vesperi, futurum eorum tarde continget. *Haec Ptolomaeus.*

In quo textu ex distantia cometis a Sole concludit Ptolomaeus principium apparitionis accidentium. Et quoniam cometis tempore inflamationis Sole in orizonte constituto per quinque fere horas temporales ab ipso Sole distabat, ergo secundum Hali, post quinque menses vere accidentia apparere deberent. Et hoc esset circa finem Ianuarii anni sequentis, videlicet Mi. CCCCi. 69i. Et quoniam cometis nondum consumatus est, ideo tempus durationis accidentium debitum describere non possumus. Nichilominus ex quo iam sedecim diebus apparuit, accidentia cometis sine dubio plures menses durabunt, imo propter coniunctiones magnas praeteritas et eclipses lunarum poterit per integrum annum durare, prout in Iudicio eclipsium praeteritarum, solaris videlicet quae erat anno domini Mo. CCCCo. 63o. decima octava die maii, cuius hoc anno in terris regni Hungariae vicinos effectus apparere incepérunt, et durabunt ferè per duos annos etc. Item et lunaris in augusto novissime praeteritae, item et futurae lunaris,

quac erit in ianuario , item et alterius solaris valde notabilis, quac futura est die nona iulii immediate post ortum solis, amplissime dicitur. Dico ergo , quod a fine ianuarii anni futuri usque ad finem ianuarii sequentis<sup>[11]</sup> anni omnia praenominata apparebunt accidentia , maiora autem et fortiora apparebunt in iulio , augusto et septembri , ibi enim Sol perambulabit signa, quibus cometis notus est, ut dicit Albumazar in fine libri Florum.

In quibus regnis et provinciis magis praedicta mala accidentia apparebunt , dico quod principaliter in locis signo Leonis subiectis , quoniam in illo signo cometis primum inflammatus est; regna autem Leoni subiecta secundum Ptolomeum secundo Quadripartiti, capitulo tertio, sunt Italia, Gallia, Apulia, Sicilia; et secundum Franciscum d' E. . . . Civitates in Italia . . . . Romam, Mediolanum, Ravennam, Cremonam, Papiani, Mantuanam et Parisios in Francia. Item secundum Homerum et alios , qui in iudiciis plurimum scripserunt, imperatorem Romanorum, regnum Bohemiae, ducatus Austriae, Pragam : in istis ergo locis fortiores apparebunt istius cometis effectus. Item loca signo Virginis subiecta aliquid de praedictis sentient malis, ut sunt Anglia, Dalmatia, Bulgaria, Walachia, et partes quae sunt inter Hispaniam et Franciam, et civitates in Italia : Parusium, Placencia, Parma, Imola, Ancona, Cuna, Tolentum, Nonaria. Et in Rusia : Leonopolis. Item loca Librae magis quam Virgini subiecta timere debent propter praesentiam Solis in eodem signo tempore inflammationis cometis, et sunt in Italia civitates : Pisae, Lucca, Vincencia, Laude et partim Bononia; in Alimania : Nurenberga, Salzburgum ; Brugis in Flandria ; Lubek, Erfordia et Colonia.

*De Casu cometis nichil hactenus scribere possum, quoniam nondum consumptus est; scribam tamen in dies suos effectus ipsius venturos.*

Et haec sunt, SERENISSIME PRINCEPS, quae de isto cometa ex sententiis doctissimorum astrologorum colligere potui; et complevi omnia quae in principio huius iudicij

scribere promiseram ad laudem ac gloriam Omnipotentis Dei,  
cuius est ratificare seu mutare omnia ex influxu coeli futura  
accidentia, et ad honorem et singularem consolationem Tuac  
Excellentissimae Maiestatis! Eiusdem Serenitatis Tuae fide-  
lis servitor, Die. 6. Octobris. *Martinus Archidyaconus Sig-  
biensis Ecclesiae.*

---

VIII.

LADISLAI VETESI

LEGATIO ROMANA

A M. CCCC. LXXV.

---



## LADISLAI VETESII PANNONII, CVBICVLARI

APOSTOLICI, ORATIO AD SVMMVM SANCTISSIMVMQVE PONTIFICEM SIXTVM III. PRO  
PRAESTANDA OBEDIENTIA NOMINE INVICTISSIMI PRINCIPIS DIVI MATHIAE SERE-  
NISSIMI HVNGARORVM AC BOHEMORVM REGIS QVARTO NONAS FEBRVARII MCCCCCLXXV.

Intuenti mihi penitusque contemplanti, Pater Sanctissime atque optime Sixte, Pontifex Maxime! usque adeo te spectata sanctimonia, fulgore virtutum et altissimae dignitatis gradu praelucere uti non eos solum, qui vitam agunt, sed quos vel a mundi principio omnis est admirata saeculi memoria, in omni praestantiae genere facile anteeas: non sine magno equidem timore ego pusillus homuncio os ad proloquendum aperio in hoc amplissimo et sacro tuo pontificio senatu, addubitans videlicet hoc tam arduum munus, ob tenuem ingenii facultatem mei, et exilem dicendi usum, aegre consummatum iri posse. Fretus tamen tua benignitate et tuae naturae clementia, Pater indulgentissime, paucis ediderim, cur ab hisce incliti Pannorum ac Bohemorum Regis Mathiae legatis, optimo dignissimoque praesule Vespriniensi Alberto, ac magnisico et generosi animi principe Johanne Thus, Tuam ad Sanctitatem ventum sit. Duae sunt iustissimae et honestissimae causae. Prima atque praecipua illa est, quod, cum omnes Hunnorum reges, a primis illis temporibus, quibus ea gens veram Christi fidem colere cepit, sanctae Romanae ecclesiae parentissimi exstitissent filii, sicut debiti eorum fuerat officii, propensissimamque Romanis pontificibus praestitissent obedientiam et eorum iussa quam diligentissime obissent: suarum partium duxit esse Rex Mathias, ut est animo magno et excelso, ut viget ingenii acrimonia singulari, ut pollet omni fulgore

virtutum , laudatissimam maiorum suorum consuetudinem referre, Tuaeque Sanctitudini more christianissimi principis et obsequentissimi filii debitam praestare obedientiam. Novit enim clarissimus ille princeps, cuius fama, decus et gloria iisdem Oceani resonet finibus , quibus terrarum clauditur orbis, post omnipotentis et immensi Dei contemplationem nihil in humanis rebus mains atque sanctius esse obedientia : quippe quae omni oblationi et hostiae anteponenda est , contestante propheta : Obedientia melior quam sacrificium, et obtemperantia quam adeps arietum. Identidem alibi : Qui servat legem, multiplicat oblationem. Legis autem et divinae et humanae praecepto monemur, ut principi pareamus. Te vero, Beatusse Pater, qui sanctae Romanae ecclesiac et universae reipublicae christianaee caput atque principem esse nesciat, est plane nemo. Edocet porro nos longe optima illa pontificiae legis constitutio, permultaque alia id genus, (*ut*) in memoriam principis apostolorum Petri, sanctam Romanam ecclesiam et apostolicam sedem honoremus, parque venerationis genus in cunctos eius successores, Christi Ihesu vice fungentes, exhibeamus. Addo etiam illud , quod magnanimi Pannonum reges sanctae Romanae ecclesiae dignitatem et auctoritatem tam sunt tutati nunquamnon fideliter et constanter , quam quivis maxime : cuius rei cum alia non parum multa, tum vero praeccipuum illud extat indicium , quod summorum pontificum mandati atque praecepti haud quaquam sunt inventi negligentes. Nam et adversus fortissimam ac potentissimam Turchorum gentem per omne tempus obices sese praebeure pro divina religione, christiani populi salute, et huius tui summi fastigii incolumitate : quod ni factum esset, proculdubio omne christianum decus aut turbatum, aut deletum cerneremus. Enimvero Pannionii, ut sunt, ita et habentur universae christianaee reipublicae muri loco esse orientem versus et gelidam arcton : quo diruto nullae christianaee vires vastum Turchorum impetum sustinebunt, uti omnes altioris prudentiae viri sentiunt, et summus ille sapientissimusque pontifex Pius II. pro maximo rerum usu, quo ceteros anteibat, confirmare solitus erat. Cum validissima item callidissimaque Bohemorum natione, foeda multiplicium haere-

sum labe coquinata, diu in arte ancipiti contendere, pro Romanae ecclesiae amplificatione et apostolicae maiestatis tutione: quod munus cum arduum esset, nulli unquam principes christiani inventi sunt, qui vel ab imperio summorum Romanorum pontificum sacrique cardinici collegii precatum obirent praeter excelsi animi Regem Mathiam, et ni mali Christiani ei impedimento fuissent, profecto iam pridem omnem illam nationem ad verum Christi cultum et sanetae fidei lumen vertere potuisset. Quantum vero hic invicti animi Rex pro sancta sede apostolica, Romanae ecclesiae dignitate et christiana religione atque plebe, tam adversus immanissimam Turchorum nationem et infidos Bohemos, quam alios complures acerrimos fidei nostrae hostes effecerit, eum alii non pauci apostolicae sedis legati, tum vero colendae memoriae Pater ille praestantissimus atque integerimus, Sancti Angeli Cardinalis et piac recordationis antistes Laurentius Roverella Ferrariensis quondam episcopus, vir doctrina, moribus et vitae sanctimonia longe clarissimus, sanetae sedi apostolicae affatimi declaravit; postremo autem R. in Christo Pater et Dominus Marcus tituli Sancti Marci Cardinalis, vir omni doctrinarum eminentia, omni morum elegantia, omni fulgore virtutum, omnique vitae sanctitate pollutissimus, qui tuo inprimitis, beatissime Pater totiusque sacri cardinici collegii nomine, Pannoniam, Bohemiām atque Poloniām ita integre, ita severe et laudabiliter, itaque sancte obiit, sicut quivis unquam antea. Considera proinde, Pater Sanctissime, vosque clarissima mundi lumina, R. Cardinales, vobiscum reputate, si Hungari, si gloriosissimus Rex Mathias, de vobis deque universa republica christiana benemeritus est? O pannones, fidissimos atque obedientissimos Romanae ecclesiae filios! O genus Hunnorū christiano cultui deditissimum! O Regem Mathiam, omnium gentium literis ac linguis praedicandum! O principem omni immortalitatis custodia dignissimum. Subiectam etiam illud, quod non parvi pendendum est, sanctam hanc Romanam ecclesiam sacrae celebritatis tempore a nulla natione magis frequentari, quam Pannonia, quod minus eveniret, si incliti Pannonum reges romanis pontificibus non summe essent dediti. Ilue accedit

quod cum adhuc vana et erronea gentilitas sanguinem pannonium teneret occoecatum, Athila ille potentissimus hunnorum\*) tyrannus, opprimendae Italiam cupiditate inflammatus, validissimum adeo ingentem exercitum ductaratus in Italiā, uti pene Xerxem fuerit acumulatus magnitudine, robore autem quam longissime superarit; cunque is omnia ferro et igne vastasset, et *primam* ipsam Romam, dico mundi reginam, eversum ire pergeret, Sanctissimus Leo papa, qui per id temporis apostolico culmini praeerat, imminentis periculi molem cernens atque formidans, saevissimo illi tyranno obviam processit humillime: qua re acer ille tyrannus usque adeo fuit emollitus, ut confestim Romano pontifici quam indulgentissime paruerit. Ista quidem impii tyranni levitas atque obtemperantia Leonis ad preces, quo mea fert opinio, non nisi clarissimum futurae omnium humorum\*\*) principum obedientiae Romanis pontificibus et apostolicae maiestati prae se ferebat indicium. Haec et alia non pauca christianissimus Rex Mathias multum ac diu secum agitans, iam ab eo tempore, cum ad regiam dignitatem annuente Deo Optimo Maximo fuerat evectus, sanctae Romanae ecclesiae et eius rectoribus parentissimum se nunquam non praestit filium, sine ulla cunctatione: partim ut sui obsequiosi animi veraeque devotionis erga Romanae ecclesiae celsitudinem conspicuum praeberet documentum, partim ut numerosum lati sui imperii populum ea ratione divinum ad cultum pronius inflecteret. Eapropter ad quosque sui temporis pontifices maximos amplissimam misit legationem debitae obedientiae praestandae nomine, omnium primum ad Sanctissimum Pium II., cuius idem iste Reverendus praesul Albertus, quem praesentem intueris, caput extitit et princeps. Illo ex hoc vitae salo \*\*\*) ad coeleste domicilium evolante, ubi gaudii plena sunt omnia, ubi nullus invidiae, nullus simultati locus; ad Paulum quoque secundum, Pontificem maximum consimili ratione eiusdem incliti Pannorum Regis, eandem ob causam praesto fuere legati. Cum et ille pro Ihesu ita statuente, mortalem hanc miserabilemque vitam cuni

---

\*) \*\*) Exemplar Romanum *humanorum* habet. \*\*\*) Ibid. : *sado.*

immortali ac beata commutasset, et Tu, consentiente omnium voce ad apostolicam maiestatem felici omne esces electus: ut primum id optimo ac invictissimo Regi Mathiae fuit explatum, tanta e vestigio ipsius animam perfudit laetitia, nulla ut eloquii potentia valeat exprimi. Liquido enim edoctus erat, cum a plerisque magna et inconcussa fide hominibus, tum vero ab optimo atque sapientissimo patre Gabriele Veronensi, Tuae Beatitudinis fidissimo ministro, quem ob admirandas atque plurimas ipsius animi virtutes, mortuo summo Pontifice Paulo II. apud se divus Mathias esse voluit, magnisque honestavit dignitatibus, et ipso isto R. ac praestantissimo antistite Vespriensi Alberto, de tua eminenti sapientia, excellenti doctrina, admirabili sanctitate, singularique in omnes eos principes benivolentia, qui christianam religionem et sanctae Romanae ecclesiae dignitatem impigre tutari consuissent: eapropter magnanimus ille Rex, acerrimus christiani nominis propugnator, videre videbatur post multam temporum turbationem vere felicissimum illud adventasse saeculum, de quo divus Plato ita olim scripsit: Felix beatumque illud est aevum, quo rerum publicarum administrationem recte vereque philosophantes adepti fuerint, vel qui administrant, divina quadam sorte philosophentur. Nemo autem inficias ibit, Pater Sanctissime, te et philosophum esse illustrem, et universae christiana dignitatis principem atque moderatorem. Iure igitur optimo laetari poterat divus Mathias, beneque non modo sperare, verum etiam confidere hac tempestate de republica christiana, quae non academicum, non peripateticum vel stoicum quempiam esset nacta rectorem, ceterum sanctissimum sanctissimeque philosophantem philosophum. Statuerat igitur ad te mittere legatos, quamprimum debitae causa praestandae obedientiae uti consentaneum erat. Sed proch dolor! illis fere temporibus, cum quibus haec studiosissime parabantur, fato nescio quo domesticae illae insidiae et intestina scelera, improborum hominum perfidia, emerserunt, hisque externa illa bella longe pestifera adiuncta sunt, quac optimum Hunnorum Regem, obsequiosum filium tuum, a laudabili et sancto proposito avocarunt, felixque ceptum non omittere, ceterum in

aliud tempus differre coegerunt. Sed de his non plura, cum Tibi, quae secuta fuerint, apprime nota esse teneam. Nunc vero, tametsi illa temporum turbatio haud parce deserviret, debitum sedi apostolicae, Tibique Pater Sanctissime tamquam verissimo Christi Ihesu vicario, et christianae maiestatis principi, exhibere voluit officium: nihil enim Rex ille sapientissimus convenientius esse ducit ad decus et ornamentum imperii, nihil ad animi iocunditatem antiquius, nihil denique ad veram felicitatem conducibilius, quam Sanctae Romanae Ecclesiae obedientissimum se praestare, idque omnibus palam fieri: omnia enim bene facta et recte collocata in lucem prodire cupiunt. Quare praestantissimos apud Pannonas viros, Albertum praesulem Vesprimensem, et magnificum Johannem Thus legatos ad te misit, quos tuum ad conspectum astantes benigne admodum intueris, qui de omnimoda eius fide, obedientia atque observantia, te Pontificem Maximum, cunctumque cardineum senatum, liquido edocerent. Tuac igitur sanctitati gloriosissimum Hungariae atque Bohemiae Regem Matthiam, cuius pro christianaे religionis tuitione clarissima facinora et spectata in Romanam Ecclesiam fides atque eius rectores obedientia toti pene iam mundo intonuit, offerunt, commendant, totumque Tuac fidei dedunt, eundem item Tuac Sanctitatis mandata ad omnia paratissimum esse pollicentur, adeo, ut Tuum quodvis grande et operosum praeceptum aequo animo sit obiturus. Scilicet de his hactenus, cum et loci et temporis ratio habenda est; nunc alterum orationis membrum aggrediar, quod ita mihi agendum est, ut die hodierno (*Tibi*) tuoque sacro pontificio senatui per me innotescat, quantum christianae reipublicae periculum immineat, quam intollerabile servitutis iugum, quamque cuncta sorbens universum fidelem populum brevi est oppressura calamitas, ni mature ab omni christianorum principum coetu, in primisque a Te, ei negotio fuerit provisum. Subnectam item, quonam pacto huic tantae pernicii resisti possit. Si vero cunctando, et dies procrastinando ac magnas opportunitates corrumpendo, quae facienda sunt, neglectum ibitis, quemadmodum hactenus factum est:

Vae tibi belligeri Martis *quam* dira propago  
 Condidit et proprio nomen de nomine dixit,  
 Vae tibi Roma, caput mundi, vae Roma beatissima!  
 Non te Gallorum, non te Chartaginis arma  
 Evertere olim, non te civilia bella:  
 At nunc excindet praevasta potentia Turchi.  
 Vae tibi, Roma, iterum miserae, vae terque quaterque.

Utinam in eam quampliam ascendere quirem speculam,  
 unde omnem Italiam atque adeo universum christianum po-  
 pulum cernerem, unde cuncti me exaudire possent fideles:  
 clamarem sane voce ingenti: O cocci Christiani, o dira inte-  
 stinorum bellorum inflammati cupiditate, o divinae religionis  
 et christianae salutis oblii! Veniet tempus, veniet, imo instat,  
 cum vos impii hostes, Machometae legi subditi populi, terra  
 marique oppriment, omnes christianaec ditionis provincias vas-  
 tabunt, regias aedes ac templa magnificentissime exstructa  
 demolientur, cadavera tandem et collapsiones admirabilium  
 aedificiorum cernere libebit, omnibus denique christianam  
 gentem afficent malis. Proinde o Christiani, quid iuvat inter  
 vos armis debacchari sceleratis? quid christianum evertere  
 populum, quid Dei cultores exterminare, quis finis bellorum, quis  
 honos, quae denique fama sequetur? Merito vos posteri damna-  
 bunt, et gravi morsu lacerabunt. Si rebus ad usum atque appara-  
 tum belli necessariis redundatis, largianini acerrimis christia-  
 naec fidei propugnatoribus; si apto ad bella hominum generi im-  
 peritatis, educite in ethnicas gentes, nolite inter vosmet ipsos  
 bellatorum arantium more desaevire: non desunt Saraceni, non  
 gentes, non Mauri christiano inhiantes excidio. Scilicet om-  
 nium primum fortissimam atque potentissimam Turchorum  
 gentem considerate, ex omni barbarie christiano nomini ma-  
 gis infestam, christianum dogma cnixius consequentem, et apo-  
 stolicae maiestatis eversioni prae cunctis infidelibus cupidius  
 intentam, non silentio identidem involverem; reputate vobis-  
 cum imminentis periculi magnitudinem, omnique intestino  
 odio semoto, unanimi consensu, magnis itineribus in crudelis-  
 simum fidei hostem Turchum contendite, illum oppugnate, us-  
 quedum expugnaveritis. At dum huius tanti conventus facul-

tatem dicenti mihi dari posse diffidam, hec loci dicere consilium est, quae praesenti negotio conducere iudicaverim. Quare initio proloquar rempublicam christianam nunquam maiore in periculo fuisse. Nam dum christiani principes fere omnes privato magis quam publico student commodo, sua, quam communis utilitatis; eo ventum est, ut in neglectum christianum imperium undequaque fiat impetus, cuncti illud lacerent infideles. A meridionali et occidua plaga Saraceni, a septentrione hi, qui nova nuncupatione tartari nominantur, ab oriente turchi. Itaque vel cocco manifestum est in quam angustum orbis terrae angulum inclusa sit christiana dignitas atque libertas. Non eam ob causam veteres illi magnanimi sanctissimum principes rempublicam christianam ex parva magnam fecerant, ex angusta latissimam: ut posteri, ex magna et pulcherrima minimam vel omnino nullam redderent. Sed dum cuncti eius administratores ignaviae et impacatis odiis student, eo ventum est, ut ferox Turchorum natio multa florentissima oppida, nobilissimas urbes et ditissimas provincias Christianorum occuparit, corum dominis et principibus crudelissime necatis, cetera plebe in acerbissinam servitutem redacta, omnique divino cultu impudentissime foedato: itaque enixe iam orbis imperio inhiat, ut nonnisi parto illo et subacto quietura videatur. Isti, ut quidam arbitrantur, e Scythia, ut nonnullis placet, ex Parthia gente sagittaria Mediae, Persidi et Babyloniae finitima provincia crumpentes, Cappadociam, Pontum, Bithyniam, Ciliciam \*), Pamphyliam, Paphlagoniam \*\*), plerasque item alias minoris Asiae provincias in suam ditionem redegerent, electis inde christianis; neque eo contenti, traecto Hellesponto Machedoniam, Thraciam, Atticam, Bocotiam, Phoenidem, Achaiam, non paucas Illyrici regiones, magnamque Epiri partem, complures in Aegeo ac Ionio mari nobiles insulas occupavere. Praeterea vero quanta cum saevitia et crudelitate in eadem ipsa Thracia Byzantium, regiam urbem et totius Graeciae caput, nobilemque insulam Euboeam oppreserint: supervacaneum esset narratu, cum ea res pro sua mag-

---

\*) \*\*) Exemplar Rom. *Ciciliam, Phalagoniam* habet.

nitudine iam pridem nota sit omnibus. In Pannionam quoque saepius irrumpendo, maximas edidit direptiones. Iam vero omnino in Italianam invadere statuit, et romana dignitate potiri, et certe, ni maturatum extiterit a christianis principibus, omniumque primum a te, Beatissime Pater, in afferenda ope ipsis christiana fidei propugnatoribus : ocyus actum erit de christiana libertate. Veniet enim impius ille Turchorum tyranus, Calabeus, in Italianam ; iterum dico, veniet : enimvero Italiae imperio inhiat, Italiae provinciarum nobilissimae atque ditissimae dominari cupit, scque toto nixu ad id comparat, tantumque secum ductabit exercitum, quantum nullae unquam nationes, quae Italianam invasere; classis praeterea nou eum deficiet ingens, quo pernicius omne christianum imperium invadat, opprimat, laceret, et suum ad foedissimum cultum averrat. Iam, me hercule, intueri videor christianarum provinciarum vastitatem, acernoque regi addictorum populorum clades innumeratas ; fidelium summi dei mancipiorum caedes ingentes ; divina et humanaque iura violari; iamiam captivam duei cerno christianorum multitudinem, omnia ferro ac igne vastari, in omnem sexum atque aetatem saevitum iri, et, quod solo auditu horrendum est, paulo post affore cerno diluvium — non quale Noe vidit, estque expertus olim, aqueum seilicet, vel, quale futurum esse non ambigimus, igneum, — at proch dolor ! sanguineum et ex sanguine christianorum, quem inexplebilis ille tyranus silit, nec prius voti se compotem dicit, uti persaepe iactare solet, quam omnem populum christianum subegerit. Consule ergo in medium, Pater sanctissime, et totas effunde vires, ne haec eveniant. Consulite, praeceipua Romanae ecclesiac membra, celeberrimi cardinales. Consulite reverendi praesules omneque hominum genus hue adducite. Modo vos annitamini pro viribus, non equidem divinum abe rit auxilium. An nichil ad vos attinere putatis damna et pericula fidelissimorum sociorum, fidissimorum amicorum, et de republica christiana optime meriti populi Hungariei : videlicet falsa equidem vos habet opinio, si ita sentitis. Ego enim Italiae salutem et conservationem non Italorum duxerim : etiam divitias ac fidem, auctoritatem et benivolentiam amicorum,

imprimis Hunnorum, qui plane ex omni christianorum coetu vastam impiae Turchorum gentis potentiam conatu omni nuntuntur infringere. Veteres Romani, negotiatoribus quibusdam extremae sortis hominibus per contemptum violatis, cum potentissimis nationibus gravissima bella persaepe gesserunt. Legimus Corinthum, inclitam olim Achaiac urbem, a Romanis prope fuisse excisam, quod corum legati indignius istic essent appellati. Memoriae proditum est eosdem nulla affectos contumelia, nulla provocatos iniuria, ob socios tantum, opulentissimis regibus difficillima bella intulisse. Tu christiana reipublicae pater atque princeps, Pontifex Maxime, Vosque R. Cardinales! vastum hunc Machumeticae gentis tyrannum, immo portentum nefarium *inultum esse sinetis?* qui tot christiana ditionis florentissima oppida, tot magnificas civitates, tot ditissimas provincias sit depopulatus; qui saepius divino cultui mancipatorum hominum ingentem turbam, omni prius affectam supplicio, crudelissime necarit; qui non aetati, non generi, non sexui unquam pepercit; qui Perillum illum Atheniensem novo et inusitato cruciandi genere superavit? quodque iis cunctis maius est et formidabilius, qui post tot impia facinora, omnem apostolicum principatum subvertere nititur: nihil enim magis odit, nec vehementius persecutur ipsa ecclesiastica dignitate, qua incolumi reliquo christiano orbe potitum se diffidit: propterea in id unum toto nixu incumbit. Quid sibi voluisse credendum est, Beatissimo Pater, in oppugnatione eius Epiri oppidi, cui vulgo Scutor nomen italo idiomate — ab illustribus verum scriptoribus Scodra nuncupatur, — vocem illam sacrilegam: alala Machmet, Machmet! Roma Roma! Non aliud profecto, quam expugnato eo oppido universa belli mole Italiam petere, latinamque ecclesiam et apostolicum principatum, omni extincto clero, machumeteae legi subiicere. O bone Deus! quantus erat per Italiam metus, cum Scodra obsidebatur; qui rumores circumferebantur, quid trepidationis omne hominum genus invaserat! In hostem exercitum ducere, vel arma contra ferre parabat nemo; dubiis et afflictis rebus subveniebat nemo; Romanae dignitati qui praesidio ire vellet, et te Pontificem Maximum, tuumque sacrum

cardineum senatum protegere appellabatur nemo, scilicet cuncti de fuga consultabant, alias in Galliam, alias in Britanniam, pars ad ultimos Novergiae populos. Non deerant, Pater Sanctissime, qui palam huiuscemodi verba facerent: Quid fuga salus quaerenda est, quid longinqua in regione tutam mansio investiganda? Opperiamur Turchorum tyramnum Calabrum, eique ex voto serviamus? Quid ad nos de principibus christianis? quid de Pontifice maximo? quando nos minime protegunt; quid de Romana dignitate? Calabeus erit princeps, idem Pontifex Maximus, idem omnia! — Sed ecce! ne tanto incommodo christiana maiestas afficeretur: Deo Optimo Maximo ita statuente longe firmissimum illud praesidium, quod semper elatas Turchorum mentes fregit, et vastos suppressit conatus, Hungarorum scilicet virtus, et sapientissimi Regis Mathiae indefessa acermonia, huic tanto tamque instanti malo opem tulit. Ubi enim expeditam Hunnorum manum in propinquuo esse Calabri legiones compertum habuerint: confessim obsidionem soluere. Quocirea, Pater Sanctissime, tecum ipse reputa initio, tecum mox Romanae Ecclesiae et universae christiana dignitati quantum inumineat periculum, ni mature huic tantae perniciei provisum extiterit. Si te imperante, te apostolicum principatum administrante Christi religio collabefactabitur: vide, quam severo pro tribunali futurum apud seculum ea de re sis redditurus rationem. Illud etiam proloquii consilium est, ne Tua Beatitudo unquam cum iis sentiat, qui nulla vetustatis memoria praediti, iactare solent exteris nationes nunquam Italianam tenuisse, neque tenere posse, cum multotiens tentarint infeliciter. Nam si ea mihi commemorandi locus esset, et non me ista prolixa oratione Tuæ Beatitudine molestiae esse ducerem: non pauca euidem vetera monumenta in medium afferre possem, quibus palam fieret cunctis, peregrinas nationes in Italianam saepius arma intulisse, ingentesque invexisse calamitates. Verum de his cunctis agam in eo libello quem ad te de Serenissimo Rege meo scribere institui, qui divinam illam sapientissimoque Rege dignam vocem cerebro his sermonibus usurpat: „Non tam mei imperii salus mihi cara est, quam universi Deo addicti populi

conservatio.“ Quapropter maiores suos, inclitos Pannoniae reges, qui supra centenum iam annum assidue cum Turchis dimicant, in omni praestantiae genere aemulari studens, omne tempus in ardentissimis bellorum flammis pro tutela fidei consumpsit. At ne innumerabilia, eademque praeclarissima huius magnanimi principis facinora pro amplificatione Sanctae Romanae Ecclesiae, quae omnibus palam sunt, nominatim recensendo tempus conteram, in eo duntaxat fuerim occupatus: quod tandem summi pontificis Pauli II. monitu, cui non obtemperare nefas esse ducebat, validissimis cum legionibus in Bohemiam profectus ad debellandos haereticos foeda multiplicum haeresum labore coinquinatos, multa et illuc pro Christi fide tutanda, et romana dignitate amplificanda, edidit fortitudinis opera; sed interim paene inaestimabilia damna ab impia Turchorum gente domi accepit. Illi enim nacti occasionem ob Regis absentiam, in Pannionam saepius invadentes, omnia crudelitatis et depopulationis genera exercuerunt, superiore vero anno clarissimam urbem Varadinum \*) cum finitima sibi regione quam crudeliter everterint, si referret, nec tua beatitudo saero cum cardinalium coetu a lacrimis temperare audiendo, neque ego recensendo, possem. Idecireo consulto praeterierim. Caveant igitur omnes, qui haec audiunt, ne idein aliquando eis eveniat. Non enim amplius Pannoni rempublicam christianam tutari poterunt, et vastae Turchorum potentiae resistere, nisi a christianis principibus adiuti. Necessarium proinde fuerit, Beatissime Pater, ut omnium primum tu te omne id, quod vales, bellicosissimo Hunnorum Regi praestes auxilii, qui ad evertendam Turchorum potentiam miro quodam animi studio inflammatus est. Non ab re item fuerit omnes ut christianos principes, quod unus optime omnium facere potes, hortere, invites atque impellas, ut communis ac socio auxilio, pro divina religione et christiani populi salute, cum inclito Rege Mathia et universa Pannorum gente impiam Turchorum nationem conatu omni debellare mature aggrediantur, — praesens

---

\*) In margine notatum habetur, sed erronee: Petri Varadgya loco: Magno - Varadinum.

etenim negotium summa indiget celeritate , quae , si , ut rei magnitudo et necessitudo postulat , communis consilio communique auxilio gnaviter obieritis : brevi equidem et quae perditum ivere, recuperabitis, et praesentem christianorum statum apostolicumque principatum tuebitis, et universo Turchorum imperio potiessis. Ad quod vel illud te in praesentia non mediocriter inducere potest ; et si Uso ille Cassanus, potentissimus rex Persarum , acerrimus Calabei omniumque Turchorum, iustis de causis hostis, militem christianum in expeditiōnem adversum Turchos duci senserit, alaerius atque promptius rem geret. Si vero languentes vos et tantam occasionem negligentes , tantasque opportunitates corruptentes cognoverit : forsitan et ipse avium ab his avocabit.

\*                   \*

\*

Cura igitur atque effice, Pater Sanctissime, ut Pannoniis, de christiana republica optime meritis, tempestiva non desint auxilia, ut divinam religionem et christianum populum omniumque apostolicam maiestatem tueri possint, ad istudque omni te nixu compara. Imitare, imitare sanctissimum illum sapientissimumque Pontificem Maximum, Pium II. in hac apostolica sede iis quondam fatis constitutum, ut non prius contentum se existimaret, quam impiam Turchorum gentem debellaret, si diutius ei vita contigisset. Iterum dico, imitare, quodque ille morte praeventus conficeret nequivit, tu Deo Optimo Maximo annuentes perfice, divumque Mathiam, obedientissimum filium tuum, inclitum Hungariae atque Bohemiae Regem, nomine omnium Pannorum et cunctorum fidelium Bohemorum, die hodierno veram et sanctam obedientiam tibi, tanquam verissimo Christi Iesu vicario, praestare certo teneas. Precor itaque Deum immortalcm , ut tanta cum vehementia in Turchum mea te in primis Beatissime Pater, cunetu m cardineum senatum et

omnem populum fidelem inflammet oratio, quanta olim Timothei Musici carmen Alexandrum Macedonum regem concitavit ad arma.

FINIS.


IX.


LODOVICI CARBONIS

DIALOGVS DE LAVDIBVS REBVSCVE GESTIS

R. MATTHAE.

---





SACRAE REGIAE MAIESTATI DIVI  
MATTHIAE PANNOÑIAE BOEMIAE DALMATIAE  
REGIS INVICTISSIMI

LODOVICVS CARBO SALVTEM PLVRIMAM DICIT.

---

Contemplanti mihi , diligentissimeque intueni singulorum Italiae principum externorumque Regum vitam et mores : non facile quisque occurrit, quem tibi in omni genere laudis praeferre aut etiam comparare possimus, DIVE MATTHIA REX INVICTISSIME. Nam si rei militaris peritiam consideremus, quae propria est magnorum virorum , principibusque maxime necessaria, non ad inferendas sed ad propulsandas iniurias: neminem profecto inveniemus, qui tecum de bellicae virtutis gloria contendere audeat. Quod quidem res tuae fortissime praeclarissimeque gestae manifestissime indicant et luce clarius ostendunt ; cum solus propemodum existas, qui ferocissimorum Turchorum et christiano nomini infestissimorum hostium assiduum impetum sustinere ac reprimere valeas : quod nisi Caesariana celeritas et divina vigilantia tua impedimento eis esset, illi se proculdubio victores fore arbitrarentur , iam pridem in Italia pedem posuissent : quod certe salvo et incolumi Matthia sperare non possunt. Incredibilia sunt, quae hue ad nos quotidianie afferuntur de mirabili victoriarum tuarum successu : in quibus omnibus non modo te imperatorem fortissimum, summumque bellorum ducem et armorum scientia praestantissimum omnes admirantur , verum etiam prudentissimum, iustissimumque principem agnoscunt ; et ut singulari

astutia et militari calliditate Annibalem aut Sertorium superrasse : sic pietate, modestia , integritate, temperantia, religio-ne Scipionem aut Marcellum rettulisse, videris. O viram im-mortalitate donandum, o principem totius terrarum orbis imperio dignissimum ! Sed omnibus ornamentiis tuis illud mea sententia praeclararius cendum, quod litteratos homines, et scientia et eloquentia praestabiles viros mirum in modum am-plecteris, foves, honoribus , muneribusque prosequeris ; qui-cunque ad CELSITVDINEM TVAM visendam salutandamque ac-cesserint, non abs te indonati abeunt ; oratores, poetas, philo-sophos, doctos omnes , pecuniis , vestibus honustos, generosis equis ornatos dimittis, cogisque memores esse tui. Haec enim propria regibus et principibus est virtus ; nam si cetera eis cumulatissime adsint, sola autem liberalitas desit, non sunt illi quidem ullo modo principatu digni, quem sola beneficentia commendat. Nec Deum ipsum amaremus, nisi cum nobis propicium fore speraremus. Quod probe intelligere videris, O MVNIFICENTISSIME REX MATTIA, qui praeclarissima quae-que ingenia, dando, sublevando, largiendo tibi perpetuo devin-cire non cessas. Quae cum ita sint, necessitatem quandam et obligationem eruditis omnibus imposuisse videris, ut nomen tuum cum omni posteritate adaequare nitantur. Quod et ego, si modo inter illos annumerandus sum , pro virili mea facere aggrediar : cum praesertim a ditionis tuae hominibus, quos hic plurimos sub disciplina nostra hoc tempore habemus, incen-sus inflammatusque sim : et inprimis a Reverendo et huma-nissimo praesule Sigismundo Hernesto, qui nunquam de tuis laudibus conticescit : qui cum Divum Matthiam Regem et benefactorem suum nominat, mella dulcissima lingere vide-tur. Quamobrem dialogum scripsi, ubi eum mecum loquentem facio de amplissimis laudibus rebusque gestis tuis : summa-tim tamen et cursim, quas, si mibi vitam Dominus dederit, et tibi non ingratum fuerit, alio quodam orationis filo contexere disposui: nunc veluti primitias quasdam mittimus, quas si MA-IESTATI TVAE non displicuisse cognovero, maiora deinceps aggrediemur. Interim bene vale, christiana gentis decus et gloria.

<sup>1</sup> AD SERENISSIMVM PRINCIPEM ET INCLITVM PAN-  
NONIAE REGEM DIVVM MATTHIAM LODOVICI CAR-  
BONIS DIALOGVS DE IPSIVS REGIS LAVIDIBVS, RE-  
BVSQVE GESTIS.

*Collocutores sunt insignis Quinque-Ecclesiensis Epis-  
copus, Sigismundus Hernestus, et Lodovicus Carbo.*

LODO. Ad nos tandem fugitivum istum Quinque-Eccle-  
siensem episcopatum forti manu mi Sigismunde retraximus.  
Sic profecto sperandum semper duxi, sic praesagire mihi ani-  
mus videbatur, et ob paterna merita, et ob egregiam animi tui  
praestantiam morumque modestiam, quae non minus quam  
doctrina et eloquentia prudentissimi regibus placere consuevit.

SIGIS. Sic humanissimo <sup>1. b</sup> principi et gratissimo Regi  
meo visum est, o Lodovice, id totum benigitati eius accep-  
tum refero, qui magis servorum snorum propensissimam  
voluntatem, fidissimamque constantiam, quam ingentia quae-  
dam virtutum ornamenta pondere solet.

LODO Neque tibi singularis deest virtus, et fides abunde  
superest, quam etiam vir praeclarissimus et omni laude dig-  
nissimus pater tuus difficillimo tempore pericolosissimisque  
rebus mirabiliter exhibuit: Quid enim ille praetermisit, quid  
non exegitavit, quid non et animo peragendum et corpore fa-  
ciendum suscepit, quod ad regiam incolumitatem pertineret?

SIGIS. Evidem parentem meum laudari, et quidem a  
laudato viro, audio libentissime; sed mihi crede: mitissimi  
Regis humanitas cunctorum <sup>2</sup> merita exuperat. Servat nimi-  
rum Hesiodi poetae sapientissimi praeceptum, qui semper cu-  
muliatore mensura, quod acceperis, si modo possis, reddi in-

bet. Quo magis praesulum illorum nostrorum malignitatem et perversitatem improbandam, detestandam, execrandam censco, qui, ab Rege Matthia tantis honoribus muneribusque affecti, ab eo ingratissime desciverunt, eiusque tranquillissimum regnum perturbare conati sunt. Unde iustissima causa fuit Regi nostro succensendi parumper Italij vestris, apud quos illi nostri tam pravos mores imbiberant, vixque potuit contineri, quin decreto sanciret, ne amplius pannonus quisquam disciplinarum gratia Italianam peteret: ubi non tam diserti et litterati, quam audaces atque ad omne facinus <sup>¶2. b</sup> parati efficerentur.

LODOVICVS CARBO. Non est Italiae nostrae imputandum si qui ex vestris hominibus ingrati et fallaces extiterint: nos cum bonis litteris sanctos etiam mores tradimus, melioresque in patriam remittimus, quos a vobis acceperimus. Nulla disciplinarum culpa est si quis ab optimarum artium studio profectus, depravatus et corruptus evaserit: sed eorum, qui bonis rebus male utantur. Quid enim maxime prodest quod non idem gravissime laedere possit, si quis abuti velit? Rem mortalibus utilissimam ignem esse videmus, quem tamen, si ad cremenda tecta præparemus, facile in perniciem convertetur. Medicina, coeleste donum ad conservandam corporis salubritatem, ad restituendam pristinam valitudinem concessa: quotiens vitam eripuit, <sup>¶3</sup> cum plenissimam habeat et bonarum et noxiarum herbarum cognitionem. Euse præcagingitur latro ad struendas insidias, viator cautus ad sibi ferendam opem si quis casus inciderit. Eloquentia, quae prudentiae coniuncta fuerit, multas urbes constituit, plurima bella restinxit, firmissimas societas, sanctissimas amicitias comparavit: quae autem, omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii, consumpsit omnem operam in sola exercitatione dicendi, inutiles et perniciosos patriae cives aluit, summaque detrimenta et ingentes calamitates in respuestas importavit. Vobis ipsis etiam illorum pravitas ascribenda est, qui eos tantopere extuleratis, ut revocari ad obedientiam non amplius posse videarentur.

SIG. Accipio, mi Lodovice, <sup>¶3. b</sup> honestissimam excusa-

tionem vestram, liberoque sententia mea et penitus absolvō italicam doctrinam ab omni criminis suspicione, in quo etiam Rex ipse noster consentire videtur, qui nobis et in Italia permanēdi et duleissimos mores suavissimasque litteras vestras capiendi libertatem permisit. Sed velim, si me amas, omissa nunc pessimorum hominum ingratitudine, de Regia Maiestate loquamur, de eius animi magnitudine disseramus, eius pulcherrima et fortissima gesta contempleremus. Nihil enim auribus meis accidere gratius posset, quam de magnanimi sapientissimique principis mei laudibus audire: abs te praesertim carissime praeceptor, quem tanto iam tempore pannorii nostri mirifice dilexerunt.

LOD. Debeo quidem<sup>3</sup> et voluntati et dignitati tuac morem gerere Sigismunde amantissime, cum pannonicæ genti vestrae plurimum sit obnoxia Ferraria nostra, quæ annos ferme quadraginta nobilissimos adolescentes vestros humanitatis studiis instituere non cessat, nec alia ulla natio plus decoris et emolumenti nobis attulerit, nec aliunde plures flagrantissimi aurei ad manus nostras venerint, quam ex beatissima Ungaria, ut gravissimus ille pater cardinalis hispanus dicere solebat, tuque praeter ceteros discipulos meos me vehementer observes.

SIG. Si mihi vitam Dominus dederit, gratissimum discipulum Sigismundum appellare poteris, tu modo ineliti Regis mei memor esse velis. An tibi videtur Matthias noster cum <sup>4.5</sup> excellentissimis Italiae principibus conferendus?

LOD. Ego vero illum non conferendum modo, sed plane praeferendum censeo, cum cum pene solum perspiciamus intentum ad debellandam foedissimam Turehorum gentem, ad defendendam christianam rem publicam, ad tutandum ecclesiasticum principatum; et quamquam cum domestica et intestina bella vexaverint, nulla unquam tamen ratione adduci potuit, ut cum barbarorum perfidia componere foedus aut inducias facere vellet, nunquam titubavit, nunquam spem abiecit, nunquam animo infractus apparuit. O alterum Marcellum, aut Scipionem, aut Caesarem! ut verissime in carmine illo meo cecinisse videar:

Pannoniam debent cuncti celebrare poetae,  
 Adversum Turchos asperrima bella gerentem ;  
 ¶ Eximum fidei decus et tutamina nostrac.  
 Nam nisi Pannonii Turchis sine fine resistant,  
 Actum esset magni pulchro de nonine Christi.  
 Hoc agit invictus Matthias fortibus armis,  
 Rex aetate sua toto memoratus in orbe ;  
 Plurima nam peragit Romano sanguine digna.  
 Transtulit Ungariam generosae semina Romae,  
 Iupiter omnipotens mutato sydere coeli.

SIG. Minus haec, Lodovice, mira indicabis, si Matthiae originem educationemque consideres. Pervenit ut arbitror ad aures vestras Iani illius parentis eius fama pervulgata \*), quem sine dubio cum antiquis illis heroibus, quos tantopere admiramus, comparare possemus. Quot annos verus ille Christi miles pro sancta religione pugnavit : meruit nimirum tanta hominis virtus, ut filio donaretur, qui ad regni ¶<sup>b</sup> culmen ascenderet.

LOD. Memini me puero nihil esse celebrius, quam Iani nomen, saepenumeroque hue nunciabantur clarissimae victoriac, quas adversum Turchos felicissime consecutus erat.

SIG. Admirabilior Iani virtus debet videri, qui nulla maiorum claritudine adiutus ipse sibi nobilitatem et gloriam suopte ingenio suaque industria peperit, ut de Mario vestro legimus, ut ab eo posteri omnes initium capiant nobilitatis suaee.

LOD. Quis dubitat, quin multo praeclarius et ad nominis famam excellentius sit propria virtute florere, quam aliorum opinione niti, ceteris praelucere, quam a maioribus generositatem accipere ? Illi mea sententia viri magni iudicandi sunt, qui non fortunae beneficio, sed virtutum adiumento in amplissimum locum ¶<sup>6</sup> pervenerunt, ad maximamque dignitatem condescenderunt.

SIG. Humilem sane Iani nostri ortum negare non possumus ex oppido Hunniade. Qui cum versaretur in curia baronis cuiusdam, ut nos dicimus, atque inter pueros educaretur,

---

\*) In margine legitur : *Ianus blanchus* (*blachus*).

adeo tam ferox et animosus existebat, ut saepe diviso in partes duas puerorum exercitu tanquam in acie confligeret, acer-  
rimeque decertaret.

LOD. Alterum Cyrum Persarum regem mihi narras, qui hoc idem fecisse traditur ab auctoribus et historicis nostris.

SIG. Quotiens ab Ascanio id factitatum lego apud Virgilium, totiens de Iano nostro recordor. Cumque pueri magnanimitatem et praeclarissimam indolem baro ille animadverteret, Sigismundo imperatori excellentissimo eum pro armigero commendavit. Qui cum itidem pueros omnes in certaminibus superaret, ductus alioquin in principis conspectum, et accusatus est, qui nimium factiosus inter pueros et seditiosus esset. Cum autem eius offigiem diligentius intueretur princeps, dixisse fertur hunc quandoque magnum imperato-rem fore.

LOD. Tale de Caio Caesare praesagium vaticiniumque fecisse accepimus Lucium Syllam, monuisseque Syllanos, ut puerum caverent male praecinctum, scirentque illi multos inesse Marios.

SIG. Hoc igitur pacto ad imperatoris notitiam pervenire cepit, unde cum primum adolevisset, Zereniensis bannus effectus est, quo in magistratu victoria praeclarissima potitus est adversus Bodonensem praefectum, quem nos vaivodam appellamus: ob quam rem felicissime gestam creatus est postmodum Transilvaniensis Vaivoda, qui post Palatinum in tota Pannonia primus habetur. Qno quidem in honore dum esset, alteram insignem victoriam adeptus est contra Natulaim bassam, qui viceimperator transmarinus vocitatur, nam cum in Transilvaniensium alpium angustias eum deduxisset, parva suorum manu, quac duorum millionum numerum non excedebat, triginta hostium millia fudit et vicit, captusque fuit bassa ipse cum aliis multis, pro cuius postea redemptione universum Rhaciae regnum, quae fortasse Thracia est, in ditionem Pannonii regis redactum est.

LOD. Themistoclem ergo imitatus est Ianus vester, qui Xerxem illum potentissimum Persarum regem, qui cum tanto impetu, innumerabileque exercitu Graeciam invaserat,

ad Hellesponti angustissimas fauces venire coegit, sicque illum militari astutia et calliditate delusum adeo fregit, et afflxit, ut is, qui cum tam formidanda classe venerat, una navicula turpissime fugere compulsa sit.

SIG. Demum Sigismundo imperatore defuneto, omnium procerum consensu totius Ungarici regni administrator et gubernator electus est. Deinde ingenti manu collecta, quindecim millium ut aiunt, iuxta Bodoniensem urbem castra posuit, et cum Tureorum imperatore conflixit, qui supra millia quinquaginta habere dicebat, eumque vertit in fugam, quo sic pulso, fusoque Hadrianopolim et Sophiam regias civitates obsedit, <sup>¶</sup> expugnatasque incendio absumpsit.

LOD. Sic plerosque Romanos fecisse novimus, ut Marcellum in Sicilia, Caesarem in Gallia et Germania: non saevitiae aut crudelitatis gratia, sed ne hostes receptum haberent, aut ceteri timore perterriti facilius citiusque ditionem facerent.

SIG. Multa quoque pro Ungariae coronae recuperatione perfecit, Camillum imitari studens, qui Gallos acceptas pecunias restituere compulit, aut Augustum Caesarem, qui a Parthis sublata vexilla repetivit recepitque. Sed cum ea de re cogitaret, essetque in eo, ut recuperaret, ecce practer expectationem adventat Turchorum princeps ad eam urbem, quae a vobis Italis Belgradum nominatur, a nostris Nandoralbensis vocitatur, cum <sup>b. b.</sup> centum et quinquaginta millibus armatorum classe permagna, multisque tormentis ac plurimis elephantis, ut Pyrrhum Molossum aut Annibalem Carthaginensem diceres: quibus cum diu arcem oppugnasset, ita ut solo aequata moenia cernerentur, ipse cum paucis eruptione facta, ita hostem cecidit et fudit, ut relictis machinis et tormentis ceterisque instrumentis et impedimentis, ei necesse fuerit in regnum suum redire.

LOD. Non minor haec Iani virtus fuisse videtur quam Romuli, qui Sabinos victoriae successu exultantes repressit; aut Horatii Coclitis, qui Porsennae Hetruscorum regis impetum sustinuit in ponte Sublicio, donec a tergo abscindetur pons.

SIG. Hac ergo pugna gloriose confecta , et re felicissime gesta, mor<sup>is</sup> bum ex assiduo multarum excubiarum et vigiliarum labore contraxit : quamobrem in manibus sanctissimi viri Ioannis Capistrani testamento rite condito, eidemque commendatis dulcissimis filiis suis, Ladislao et Matthia, diem suum obiit, e vita migravit vir fortissimus , sempiternaque memoria dignissimus.

LOD. Hunc tam laudabiliter morientem comparare possumus Epaminondae Thebanorum duci, qui tum denique sibi avelli iussit spiculum, postquam ei percontanti dictum est clypeum esse salvum, ut etiam in vulneris dolore aequo animo cum laude moreretur ; nam cum penitus fusos hostes ex animi sententia comperisset: non finis, inquit, commilitones, vitae meae sed melius et altius initium advenit. Nunc enim <sup>¶ 9. b</sup> vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur.

SIG. Cum hoc modo vita excessisset, Ungariae Boemiaeque Rex Ladislaus, qui tum erat Budae, Albam se contulit , incertus quo in se animo essent hi praestantissimi iuvenes. Qui cum nihil obstitissent, seipso et arcem et civitatem totam Regi dediderunt : quorum fide ac virtute perspecta , horum alterum Ladislaum, Rex, Transilvaniensem Baivodam, quo in magistratu pater ante diutissime fuerat, designavit : ob quam quidem rem invioliam maximam sibi conflavit cum Ciliae comite, Cilingespane, qui Regi erat sanguine coniunctus. Quapropter ille eum dolis circumvenire statuit, iussitque ad se Ladislaum accersiri : nam et Comes hic Albae fuerat tanquam de magnis quibusdam rebus cum eo acturus. <sup>¶ 10</sup> Qui mali nihil suspicatus solo pugione de more accinetus comitem intrepidus adivit : ille, utpote qui meditatum facinus habebat in animo, prorupit ad iurgia, et huic obiectare perfidiam cepit, quod non statim, ut decebat, Regi arcem tradidisset. Ladislaus hac de re se honestissime purgans, cum non verbis solum, sed armis rem geri videret , in eum enim stricto gladio ferebatur : in ea domo, ad quam in consilium vocatus fuerat, comitem occidit.

LOD. Hac ratione Milonem, qui Clodium occiderat, Cicero defendit, quod Miloni Clodium insidias struxisse constabat.

SIG. Deinde quamquam Rex fidem dederat nunquam hac de re se ultiōnem facturum, tamen cum aliquando hi duo fratres Budam venissent, procerum consilio capti <sup>|10. b</sup> sunt, et eorum alter Ladislaus pro comitis morte capite poenas luit. Rex vero procerum et baronum persidiam detestatus, quod etiam ii, qui cum eo principes capti erant, e carcere evasissent, in Boemiam transire decrevit, Matthiamque secum duxit: ubi cum per aliquod tempus commoratus esset, veneno, ut fertur, interiit. Interim cum regnum principe suo vacaret, omnium consensu ad regiam dignitatem vocatus est Matthias, et paucis post annis legitime ac solenniter coronatus: cum eo tempore coronam teneret Fredericus imperator, quam ei regina Helisabet uxor Alberti, qui Ladislai Regis pater fuerat, pignori dederat. Initium autem victoriarum suarum auspicatus est Matthias, cum esset admodum adolescens <sup>|11</sup> ac pene puer, apud Sanctum Demetrium, ubi Danubii vadum est cum arce munita: hue enim cum Turci duce Alibego traiecerint, aliquantumque praedae et hominum et pecorum discursantes diripuisserint, passimque sine ullo ordine vagantes incursiones plurimas in illa inferiore Pannoniae parte fecissent: Rex noster parva pro tempore collecta manu, quantis maximis potuit itineribus, nocturno tempore illuc pervenit, et cum exploratum haberet eos inordinate hue illuc ferri, paulo ante lucem aggreditur: illi nihil tale metuentes veluti pecora prosternuntur, et, ut quisque natando evaderet, conabatur, ita in aqua a nostris occidebatur: caesaque sunt hostium multa millia, nam decem ferme passuum millibus instantes nostri <sup>|11. b</sup> fugientes illos insecuri sunt.

LOD. Maior profecto haec Mattheiae vestri indoles fuit, quam Scipionis Africani, qui quum parentem suum apud Ticinum graviter saucium de manu hostis eripuit, summis in coelum laudibus effertur; aut Aenilii Lepidi, qui puer in aciem progressus hostem interemit, civemque servavit, cuius tam memorabilis operis index in Capitolio statua bullata et incincta praetexta senatus consulto posita est; aut Catonis, qui cum salutandi gratia praetextatus ad Syllam venisset, et capita proscriptorum in atrium illata vidisset, atrocitate rei commo-

tus, paedagogum suum nomine Sarpedonem interrogavit: quapropter nemo inveniretur, qui tam crudelē tyrannū occideret? cūque is non voluntatem hominib⁹, <sup>¶</sup><sup>12</sup> sed facultatē deesse, quia salus eius magno praesidio militū custodiretur, respondisset: ut ferrum sibi daret, obsecravit, affirmans per facile se eum interfecturum, quā ad lectum illius considere soleret.

SIGIS. Cum ea sic gererentur, ecce a finitimis bellum exoritur, maxime vero a Boemis, qui duce Suella undique Ungariam invadere ac devastare ceporunt; adversus quem memorabilis extitit Regis nostri victoria: nam cum multis praeliis ab eo Suella vinceretur, arcem quandam vallo et fossa mirabili arte munivit, ubi cum obsideretur, et munita omnia diruta essent, cum suis eruptionem fecit, defensus tenebris et opacae noctis dono fretus. Sed cum nostri omnes bono videlicet magistro et <sup>¶</sup><sup>12, b</sup> imperatore docente vigilarent, proque custodia portae acriter starent, aliquamdiu pugnatum est; et cum ille paucis comitantibus fugeret, captus est, et laquoco ei gula fracta. Ob hanc tamen causam in eum tali poena Rex animadvertisit, quā sub ea arce Petrum Zobi, unum omnium Ungarorum fortissimum, sagitta vulneratum in fronte perdiderat.

LOD. Generosi animi fuit sociorum mortem ulcisci: Sic Nisus quiescere non potuit, nisi prius occiso Volsecente infelicem amicum Euryalum vindicasset. Sic Aeneas ob commilitonis sui Pallantis interitum Turno infensor fuit, nec eum deprecantem audire sustinuit, humero cum apparuit alto Balteus, et notis fulserunt cingula bullis. Pallas, inquit, te hoc vulnere Pallas immolat, <sup>¶</sup><sup>13</sup> et poenam scelerato ex sanguine sumit. Et Romani Iugurtham Numidiae Regem persecui non destiterunt, donec eum captum Romanam perduxerunt ob Hiempsalis et Atherbalis necem, qui nepotes fuerant Masanissae Regis, populo Romano amicissimi.

SIG. Non parva imperii accessio Regi nostro facta est ex Boemia propter Moravia, quae marchionatus est, et Slesiam, quae ducem habet. Moraviae pars sine ulla vi sponte sua in deditiōnem venit, altera pars violenter expugnata.

In Slesiam, cuius civitas metropolis Fratislavia nominatur, ultro ab hominibus accersitus fuit, magnoque triumpho et laeto clamore Dux eorum appellatus, celebratique ludi magnifici, ubi duces baronesque permulti hastis concur<sup>13, b</sup> rerunt, tantoque apparatu in eam urbem ingressus est, quanto antea nullus.

LOD. Summa Regis humanitas et clementia hoc pacto indicatur, nam et Quinto Flaminio nostro in Macedonia, et Cæsari in Gallia, et Cneio Pompeio in Asia civitates se sponte debant, tanquam meliores, benignioresque dominos habiturae.

SIG. Secuta est non minus gloriosa victoria in Moldavia contra Vaivodam Stephanum, ubi adversum quadraginta hostium millia cum duodecim millibus manum conseruit, caesaque eo praelio sunt hostium millia quindecim. Non tamen ea pugna nostris incruenta, qui insigne detrimentum acceperunt ex obitu strenuissimi viri Ioannis illius Dorolezi<sup>1</sup>), qui cum fortiter dimicando deforme in facie vulnus accepisset, supervivere<sup>14</sup> amplius indignum putavit, atque in confertissimas hostium turbas irrupit, ibique postea mortuus inventus. Huius viri virtus et gloria demonstratur abunde in palatio Regis Ungarici, ubi eo habitu et armaturae genere, quo tunc pugnaverat, nobilissime depictus appareat.

LOD. Gratitudo magna vestri Regis ostenditur, qui omniratione conservare eorum memoriam studeat, qui pro eius dignitate sanguinem ipsum et extremum spiritum profundere non dubitarunt. Nam et Romani veteres fortibus viris, qui rempublicam adiuvissent, ornassent, amplificassent, imagines, statuas, triumphales arcus erigere consueverant, ut et virtuti debitum praemium persolveretur, et ceteri ad tutandam rempublicam exemplo<sup>14, b</sup> moverentur. Honos enim, ut inquit Cicero, alit artes, omnesque ad res magnas et pæclara studia gloria incenduntur. Unde et Coeliae virginis equestris statua in Capitolio posita, quae a Porsennae castris Thyberim flumen traiiciendo Roman redierat.

SIG. Captus etiam in eo praelio dux fuit, cuiusdam tamen praefecti nostri perfidia, qui Verezes dicebatur, salvus

---

<sup>1)</sup> Rectius: Dorotczi, hodierna scribendi ratione: Daróci.

evasit, quamobrem confecto postinodum bello, perfidiae poenas dedit capite obtruncatus.

**Lod.** Punienda gravissime ac severissime castiganda perfidia: Nam et Tullus Hostilius tertius Romanorum Rex de Metio Suffletio Albanorum Duce acerbissimum supplicium sumpsit, quem in diversa quadrigae distraxerunt, raptataque sunt eius viscera, quia cum se Romanis<sup>15</sup> amicum simularet, ad Fidenates re vera inclinabat.

**Sig.** Quid loquar de victoria illa sub Chermesina civitate habita, quae per incendium capta fuit, ex qua Boemi Regis filius Victorinus fugiens, in Nezela urbe, ad quam cum admodum paucis sese contulerat, deprehensus est.

**Lod.** Non minus laudis ex hac captivitate meruit, quam Africanus ex capto Siphace, aut Paulus Aemilius de Macedonia Rege Perseo in triumphum ducto.

**Sig.** Adde aliam Nitriensem adversus Casimirum Poloniae Regis filium, quem tandem ad ultimam desperationem deductum, relicto exercitu cum paucissimis quibusdam fugam facere coegit. Capta deinde civitate Nitra, sub eius iugum pervenerunt. Fuit autem<sup>15 b</sup> haec periculosa coniuratio, in qua cum Casmiro isto senserunt Ioannes Rhocigon, Rinoldus Rhocigon, Ioannes Archiepiscopus Strigoniensis, Ianus Quintuecclesiensis episcopus.

**Lod.** Dolendum est profecto tam nobile huius iuvenis ingenium ad tantam dementiae, insolentiae, ingratitudinisque temeritatem devenisse; hoc est quod Cicero noster plerunque dicit accidere praeclarissimis et splendidissimis ingenii, ut principatus appetitione ducantur, et odiosa elatione ac magnitudine animi nimia in eis pertinacia reperiatur.

**Sig.** Altera exorta est in eum coniuratio a Valachis et Transylvaniensibus, qui ducente Joanne Grosso ad quinquaginta millia convenere, eumque Transylvaniensem Regem appella<sup>16</sup> vere, adversum quos habita Victoria omnibus ignovit, praeterquam coniurationis principibus, quos miro tormenti genere affecit, carentibus enim laminis vexati et dilacerati sunt.

**Lod.** Servavit prudentissimus Rex Ciceronis nostri prae-

ceptum, qui in coniurationibus ait sones quidem puniendos, multitudini vero parcendum.

SIG. Omnia victiarum eius praeclarissimani arbitramur Bosthenensem, nam multos iam annos Bosthenense regnum Turchus occupaverat, inde usque ab Rege Thoma, qui Ungarico regno semper amicissimus, sociusque optimus extiterat. Is cum fratrem haberet sceleratissimum, imperiique cupidissimum, et filium perditissimum, patrui persuasionibus largitionibusque corrumpitur |<sup>16.</sup> <sup>b</sup> filius, maxime vero quum eum facturum se Regem pollicebatur, si consensum praestisset, ut Rex Thomas eius pater interficiatur. Ita cum pater exercitum duceret, noctu ab utroque insidiouse interficitur. Confestim filius ab exercitu in Regem eligitur, metu potissimum patrui, nam multa fingebant; nihil scilicet ipsis de Regis neco compertum esse, sed hostili manu occisum. Rex itaque electus, paternas amicitias relinquens, Turchi partes sequitur. At ille, quamquam ferus et barbarus, tamen horum impietate ac immanitate cognita, ad se vocatos statim capit, de amboibusque poenam sumit. Nam filium in conspectu suo excoriari iussit, tergora diripuit costis, et viscera nudavit; eius patruum veru affixum, viventem ac sentientem assari, ||<sup>17</sup> tanquam esca in cibum hominibus futurum.

LOD. Nusquam legisse videor tam abominabile facinus, nisi fortasse Servii Tullii Romani Regis sexti filia Tullia comparari huic merito potest, quae virum suum Tarquinium Superbum in parentis necem solicitavit, et per imperfecti patris iacens cadaver carpento vehi non verita est: unde et vicus ille Romae Sceleratus dictus est. Quamobrem pietatis genus fuit in talia monstra crudelitatem exercere.

SIG. Ex eo tempore sub Turchorum ditione fuerat Bosthena. Rex ergo noster Iaiiciam, quae regia civitas est illius regni, vi expugnat. Praefectus autem huic oppido et arci erat Monatrigbegus, potentissimus apud Turchum, veluti regulus quidam, qui cum in arce obsideretur, |<sup>17.</sup> <sup>b</sup> et moenia diruta essent, nullaque defendendi spes, conditiones ditionis accepit, ut videlicet solus relictis impedimentis et armis libertate donaretur, alii omnes in ditionem venerunt. Solus hic ad Tur-

chum profugit, aliis tamen libertate permissa quo vellent abeundi aut redeundi, sed praeter praefectum qui rediret, inventus est nemo, adeo commoti sunt omnes tanti principis clementia, qui cum eos iure belli potuiisset occidere, tamen pro innata mansuetudine ac benignitate sua veniam illis dedisset, omnesque salvos esse voluisset.

LOD. Ad Magni Alexandri exempla me revocas, qui de victis in Asia principibus regna restituit; matrem et uxorem Darii Persarum Regis a se debellati tanta comitate<sup>a</sup> ac liberalitate prosecutus est, ut eius audita morte, Sisigambis Darii mater amarissime fleverit, nec ultra in vita esse potuerit. Aut Caii Caesaris, qui tunc maxime gloriabatur, cum acerrimis hostibus ignoscet, qui saepenumero verbum illud usurpabat: Dignum te Caesaris ira nullus honor faciet; vel potius ad Iesu Christi praecepta, qui et ipse pro consequentibus oravit, cum ad institutionem nostram dixit: Pater, ignosce istis, quia nesciunt quid faciunt. Mihi vindicta, et ego retribuam, dicit Dominus. Nulla re proprius ad Deos accedimus, quam dando, sublevando, ignoscendo. Nihil habet regum fortuna maius, quam ut possint, nihil melius, quam ut velint servare quam plurimos. Animum vincere, iracundiam cohibere,<sup>b</sup> victoriā temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute praestantem non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: haec qui faciat, non modo cum summis viris comparo, sed Deo simillimum iudico.

SIG. Hoc pacto regia civitate recepta, universa Bosthena in Regis ditionem pervenit. Cuius quidem regni administrationi regem praefecit nuper virum Pannionorum omnium illustrissimum, Nicolaum Vaivodam, ex antiquissima et nobilissima progenie ortum, qui hoc anno plurimas consecutus est victoriae. Ter cum ipso Turcho, quamvis non iusta acie, sed cum discursantibus semper, circiter quinque millia depugnavit, semperque victoria potitus est. Recuperata Bosthena, arcem illam munitis<sup>c</sup> simam totius Illyrici, quae sanctus Georgius appellatur, oppugnandam suscepit; quae, cum oppido inter paludes sita, illis undique quatuor passuum millibus circumdatur, ad eamque unus tantum aditus patet; sed eum adiu-

vit opportunissima occasio hyemis frigidissimae: quanquam enim ab oppidanis quotidie frangebatur glacies, tamen tantum in nocte congelabatur, quantum diurno labore peractum erat. Ita tres fere menses oppugnatum oppidum in eius potestatem vi redactum est.

LOD. Annibali Carthaginensi minime cedere voluit Matthias noster, quem nulla frigora, nulla coeli intemperies, nullae asperitates, aut locorum aut temporum, fatigare potuerunt, qui etiam in Hetruria oculo amisso a proposito itinere |<sup>19.</sup> b non deflexit.

SIG. Hic tamen ingenti malo et damno affectus est Rex: nam summe dilectum fratrem, Andream Pongoratum, tormenta circa oppugnationem percussum perdidit; virum sane fortissimum, miraeque indolis iuvenem, ac in re militari peritissimum. Hunc fratrem saepissime reminisci solet, et immaturam eius mortem molestissimo animo ferre. Erat autem hac ratione Regis frater, quod mater huius et Regis mater sorores extiterant.

LOD. Sie habet rerum natura, o Sigismunde, ut mala bonis semper adiuncta sint, quod bene Alemena illa Plautina declarat his verbis: Satin' parva res est voluptatum in vita, atque in aetate agunda, prae quam quod molestum est. Ita cuique comparatum est in aetate hominum; ita diis<sup>20</sup> est placitum voluptatem ut moeror comes consequatur, ut incommodi plus malique illico adsit, boni si quid obtigit. Paulus Aemilius nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repraesentatio, ex quatuor filiis formae insignis, egregiae indolis, duos iure adoptionis in Corneliam gentem, Fabiamque translatos sibi ipsi denegavit, duos ei fortuna abstulit, quorum alter triumphum patris funere suo quartum ante diem praecessit, alter in triumphali curru conspectus post diem tertium expiravit. Itaque qui ad donandos usque liberos abundaverat, in orbitate subito destitutus est.

SIG. Superest adhuc Andreae illius frater nata maior, Pangoracius, qui Transylvanensem praefecturam administrat, qui de Turchis victoriam praeclaram nunc adeptus est. Nam cum illi magnam vim pecorum et hominum abigerent,

apud fluvium, qui Temes appellatur, cum serum dici esset, castra metantes, per exploratores certior factus eos segnes ac desides esse, ac sine ulla militaris disciplinae observatione: surgente Aurora in eos impetum facit instructa acie; illi tam improviso malo perterriti, ut quisque poterat equo insiliens fugiebat. Eum captivi advenientem cernentes, Deum supplices pro victoria consequenda preceabantur. Turchus autem cum in acie profligatus esset, in captivos saevire cepit: quorum tamen decem millia per Ioannem liberata sunt, qui de hoste insignem victoriani reportavit.

¶<sup>21</sup> LOD. Nil mirum, si sub tali Rege, qui semper vincere didicit, omnes alii fortiter faciant, nam, ut inquit Plato: Quales principes, talos reliqui existere solent.

SIG. Sed unum praetermittendum non est de pugna illa Moldaviensi, quod in ea Rex noster letale pene vulnus accepérat, sagitta enim pedem eius gravissime sauciaverat: cum tamen summum periculum imminere videretur, si Regem vulneratum esse constaret, confractum sagittae lignum suis manibus evulsit, tribusque postmodum amnis in regio corpore inclusum ferrum illud sagittae permansit, quod nullum ratione medicabile videbatur: erat enim tricuspidate acumine, et circa lignum amplum. Videns ergo nulla humana ope sanari se posse, ad Immortalis Dei omnipotentiam <sup>21. b</sup> configuit religiosissimus princeps, votique se venerabile quoddam Sacrae Virginis templum adiuturum prope Budae moenia, quo devotissime facto voto, repente sponteque sua ferrum illud excidit.

LOD. - Duplicem boni Regis pietatem enarras, et quod propriam salutem neglexit, ut totius exercitus incolumitati consuleret; et quod Dei imploravit auxilium, qui regibus favere solet, quum sacri quidam homines habentur in terris, divinitatisque aliquid prae se ferro videantur. Qua in utraque re Aeneam ipsum imitatus videri potest, qui semper prius a Marone nostro deseribitur: Nam et ipse vulnus, quod habebat in crure, minime diligari patiebatur, ne hostibus laetitiam daret; et tandem Veneris matris subsidio curatus<sup>¶22</sup> est.

SIG. Sed quaedam omisimus, quae in maximum Iani patris decus et laudem referri possunt. Nam cum superiore anuo

Esembeghus ille, qui Eubocam expugnavit, quam nunc Nigrum Pontum appellant, res suas magnifice gestas cepisset extollere, ibique adessent fere omnes insigniores Turchi duces, rerumque bellicarum peritissimi, maxime vero Alibeghus, qui acerrimus Ungarorum hostis semper extitit, detrahere, eiusque laudem imminuere, quum tot annos cum Ungaris bella gessisset, et ne unum quidem oppidum expugnare potuisset, sed pecoribus solum et animalium gregibus abigendis agros devastasset: Alibeghus ei hunc in modum respondisse fertur: Si tu cum Ungaris bella gessisses, aliter |<sup>22.</sup> b profecto memorandum putares, neque adeo insolesceres uti nunc facis, quia cum Graeculis et effeminata gente pugnasti. Felix profecto Turchorum imperium extitisset, si belli vires, quas in Ungarica gente consumpsimus, ad alias nationes intendissemus: memini enim ab ipsa usque pueritia, exercitum nostrum adversum alios victorem fore semper extitisse: ab Ungaris vero nos saepenumero devictos fuisse. An non recordaris parentes nostros solo Ianconis nomine saepe perterritos? (Ianco enim a Turchis pater nostri Regis appellabatur) cuius hominis tantus erat terror, ut siquando infantes eorum flerent, solo Ianconis nomine a fletu deterrent hoc modo dicentes? Tace, Ianco adest. Itaque si tibi cum Pannoniis dimicandum erit, non||<sup>23.</sup> tantopere superbia effereris.

LOD. Propterea Iulii Caesaris nostri res gestae maiores, amplioresque fuerunt, quam Alexandri, qui cum Indis et Asiaticis soluia hominibus depugnavit, quos facillimum fuit vincere non repugnantes: Caesar autem, cum septentrionalibus robustissimis viris signa contulit, qui etiam sola corporum proceritate formidinem inferre poterant; unde et crebro commemorare solebat Pompeii felicitatem, cui praeccipua militiae gloria de tam imbelli genere hostium contigisset.

SIG. Volens ergo Turchorum princeps huius Esembeghi fortunam et virtutem experiri, magnam armatorum multitudinem, septuaqinta ut dicitur millium, huic tradit, qui sperans bene prospereque sibi eventurum, ut semper evenerat, |<sup>23.</sup> b Turcho iuramento confirmavit eo exercitu universam Panniam se Turchorum ditioni subiecturum. Itaque non longe a

Belgrado castra posuit. Cum autem Rex in Boemia tunc esset, ad principes regni scripsit, ut, quantas maximas possent, copias compararent; siveque praeter spem ab obsidione repellitur, et quamvis ibi iusta acie pugnatum non est, tamen multis praeliis homines maxime levis armaturae et legiones congressae semper a nostris superatae sunt. Cum haec ita gerrentur, Esembeghum poenituit consilii sui, et multis precibus in auxilium suum Alibeghum accersivit; at ille inanem et iactabundum hominem sprexit, quia sibi tantum prius arrogaverat. Ita Iudificatus turpiter abscessit, iurciurando asserens, nunquam se amplius huiusc<sup>ell</sup><sup>24</sup> arcis obsidionem tentaturum, nec Turcho de hac re amplius cogitandum aut sperandum.

LOD. Stolidum istum Esembeghum comparare possumus levissimo illi Gallo, qui Romanos ad singulare certamen provocabat, quem Valerius validissimus adolescens Romanus interemit, eique torquem a collo detraxit, unde et Torquatus dictus est; aut Numano illi, qui apud Virgilium Troianos lacesebat, cuius dementiam pulchre castigavit Ascanius.

SIG. Ad causam belli illius, quod cum Romano imperatore fuisse diximus ob regni coronam ab eo retentam, accessit et alia. Nam cum Rex Ladislaus, genere germanus, ad quem haereditario iure spectabat Ungariae regnum, puer admodum esset, a Frederico Caesare, de <sup>[24.]</sup> eniūs familia is Ladislaus ortus erat, regnare non permittebatur, tanquam ad imperii pondus rudis adhuc et minime idoneus: quod tamen ab eo fingi credebatur, ut se Ungariae Regem faceret. Hac igitur re cognita Ioannes Interrex, sive Gubernator Ungariae, Viennam, ubi is puer educabatur, obsidere cepit; et cum Imperator cives suos ab obsidione liberare non posset, nec civibus nec Interregi nostro satisfacere: invito demum Caesare Ladislaus in regnum introduceitur; ex quo elucet maxima Iani nostri constantia, qui cum regnare nullo penitus contradicente posset, Rege tamen legitimo Ungariae regnum vacare non est passus.

LOD. Cum Cn. Pompeo Ianum vestrum conferre possumus, qui Ptolemaeum in Aegypti regnum reducere <sup>[25]</sup> maluit, quam ipse regnare; aut cum Caio Caesare, qui Deiotarum, Ar-

meniae ac Cappadociae regem superatum, regno suo liberallissime restituit.

SIG. Obsidionis illius testis est Vienna, ubi in ea parte, quae obsidebatur, extuctae sunt turres munitissimae, quae ab hac dura obsidione appellantur contra Ianconis impetum factae; uni etiam iliarum nomen dedit Rex Matthias a captivitate sua, cum ibi a Ladislao Rege teneretur captivus. Eoque tempore in magno discrimine fuit Imperator, qui nisi puerum restituisset in regnum, Nova etiam eius Civitas, quae imperialis est, capta fuisset. Iam enim cives de deditione cogitabant, cum Imperator viribus suis diffidens, clam noctu civitatem egressus est.

LOD. Audivimus et nos, et vidimus, huius hominis <sup>[25.]</sup> pusillanimitatem, parsimoniam, tenacitatem, avaritiam, miseriam, qui nihil habet Imperatoris, praeter nomen. Existimo profecto Caium Caesarem, si praesagire potuisset dignitatem ac nomen suum ad eos potissimum, quos ipse devicerat, peruenturum, totam gentem et stirpem deleturum fuisse, ne ullae unquam omnino reliquiae superessent.

SIG. Neque illud de Iano tacendum arbitror, qui, cum adhuc Vaivoda et praefectus esset, et propter res ab eo magnifice gestas optimus bellorum ductor haberetur, Sigismundusque Pannoniae Rex et Romanorum Imperator sine virili prole vita excessisset: Rex Ladislaus Polonus haereditario iure succedens, brevi tempore post coronationem suam maximo exercitu comparato cum omnibus tetrarchis et dynastis, totiusque <sup>[26.]</sup> regni nobilioribus in Turchorum campos, quos Rigomeze-tios nostri appellant, ut cum Turcho manum consercret, profectus est: neminemque aptiorem Iano invenit, quem gerendo bello ducem praeficeret, qui omnium consensu dignissimus est indicatus, ad quem totius belli summa deferretur. Erant autem nostri, ut fertur, supra millia quinquaginta: quo exercitu ac-tatis nostrae homines nullum in Ungaria neque maiorem, neque principum dignitate ac nobilitate clariorem viderunt: illuc enim totius Ungariae robur convenerat. Quindecim aderant barones, ut nos dicimus; Cardinalis unus, Sancti Angeli vi-delicit, Constantinopolitanus Patriarcha: communi enim con-

sensu id bellum susceptum esse dicitur et Pontificis Maximi et Imperatoris Cons<sup>26</sup> b<sup>a</sup>tantinopolitani. Verum de coniungendo exercitu aliter, ac convenerat, accidit. Nam cum Imperator Constantinopolitanus de constituendo die legatum quendam suum sibi sanguine coniunctum, sed hominem sane imprudentem ad nostros misisset, ut res tutius sine litteris agi posset: ad regulum illum Racenum, quem ipsi Despotem appellant, pervenit; is autem regulus medium quendam inter Regem nostrum et Turchum se semper exhibet, et qui fortior aut feli-  
cior sit, illi favet. Hic omnem rem regulo aperit, qui veritus ne, si nostri in hoc bello victores extitissent, ipse quoque in nostram ditionem concederet, legatum multis largitionibus corrumpit, ut, quicquid a nostris responsum fuisset, ad eum in reditu reverteretur: ille rediens responsa patefecit. Itaque ¶<sup>27</sup> fictitias litteras componunt, et alium congregationis terminum Imperatori Constantinopolitano mentiuntur; neque rettulit corruptus se cum Raceno fuisse. Ita cum nostros diu auxilia expectando sua felicissimae opinio, ad statutum diem indicatumque terminum cum adesset Turchus, ingentem multitudinem secum ducens, varia inter nostros exoritur sententia: Iamus, ut prudentissimus imperator, cum tanta turba pugnandum dissuadebat, armatorum enim supra ducenta millia Turchus habebat. Rex autem noster, utpote magnanimus princeps, fugere turpe existimans, non multitudini solum, sed paucis etiam Deum favere dicebat, tempusque pugnandi ad diem tertium proponi iussit. Sic enim solent semper nostri de dimicandi ¶<sup>27</sup>. b<sup>a</sup> die convenire cum Turchis, nisi quid insidiose geratur. Interea Deum invocant nostri. Denique tertia die, orto iam sole, pugnam ineunt, ampliusque horis septem acerrimo dimicatum est. Nostri ab innumerabili multitudine undique circumventi, quamdiu potuit eorum virtus, restiterunt. Tandem ad hostem Victoria inclinavit, fusisque sunt nostri magna strage. Ter tamen exercitus a Iano instauratur, neque Regi, quem iam aut captum, aut capi videbat, deesse voluit, sed circa globum illum diutissime fortiter pugnans, a confertissimis hostibus plurimis vulneribus acceptis, rogatus a suis, qui vulnerato duce animum abiecerant, ne temere in hostes irrumpendo inu-

tili morte sua cuncta secum traheret: |<sup>28</sup> (nam si tum vir ille occubisset, actum erat prorsus de imperio nostro) ex pugna defessus et saucius egreditur.

LOD. Similem se praebuit Ioannes Lucio Paulo, qui cum apud Cannas a Romanis infeliciter pugnatum esset, Terentii Varronis, alterius consulis, stultitia et levitate, collegae sui errorem emendare maluit, quam propriae saluti consulere.

SIG. De Rege ipso varia quidem est opinio: alii eo praelio imperfectum asserunt, alii in Turchi praetorio cum ceteris insignioribus viris capite obtruncatum. Ianus tamen tanta accepta clade non animo deiectus est, sed paucis post mensibus quantum potuit exercitum collegit, et, ut fama est, quinque eo anno cum Turcho conflixit, semperque superior evasit.

|<sup>28.</sup> b LOD. Haec profecto gravissimo dicendi genere describenda essent: haec dignissimam historiam postularent, multaque litteris mandata sunt et vetera et nova, quae ne minima quidem ex parte cum his conferri possunt.

SIG. Audio certe a doctissimis novissimum hoc bellum, quod expressimus, graeco sermone illustratum, solutaque oratione descriptum, ac versibus celebratum. Omnibus quidem nostris in ore est, nimiumque illius meminisse necesse est: multorumque natales ab eo, ut olim a consulibus, designantur.

LOD. De Rege illo quoque mirabilia praedicantur, qui benignissimus, qui clementissimus, qui iustissimus, qui liberalissimus extiterit.

SIG. Immo vero putatur, quod usque ad aetatem illam illibata virginitate vitam exegerit, proptereaque tanquam ex conscientia<sup>29</sup> bene actae vitae mortem contempsisse, fortique animo pro christiana fide veluti generosus quidam martyr occubuisse. Hoq; tamen scias, velim, o Lodovice! multo plures in eo praelio Turchos cecidisse, quam nostros. Confecto enim bello cum occisorum capita recenserentur, pro singulis nostrorum capitibus quinque Turchorum traduntur inventa: unde apud eos proverbium notum, cum deum pro adipiscenda victoria precantur: Non tam praestet, qualem in hoc bello habuere.

LOD. Romanorum et Carthaginensium plurimae huiusmo-

di extitere victoriae, ut saepe proprius periculo fuerint, qui vicerunt.

SIG. An tibi videntur tot laborum gradus et patris et filii regiam coronam meruisse?

LOD. Medius fidius! non tantum laborasse puto Numan Pom<sup>29.</sup> <sup>b</sup> pilium, aut Tarquinium Priscum, aut Servium Tullium, qui cum peregrini essent, tamen propter eorum nominis probitatem in regiam populi Romani sedem evecti sunt.

SIG. Neque solum bellicae laudes et rei militaris peritia Matthiam nostrum exornat, sed leniores quoque illae animi virtutes in eius pectore plurimum regnant: moderatio, affabilitas, sermonis lepiditas, dulcissima cum amicis consuetudo, summa in benemeritos gratitudo, liberalitas inaudita, ut quotiens de Germanico illo vestro, aut Vespasiano Tito audio, in quibus omnes animi et corporis dotes cumulatissimae fuerunt, semper Matthiam nostrum videre videar.

LOD. Est quidem militaris gloria in rege praecipua, nec laudabilis solum, sed apprime necessaria, non ad inferendas <sup>30</sup> sed ad propulsandas iniurias; nec perfectus princeps putari debet, qui militari scientia et experientia careat: Unde Magnus Alexander ex omnibus Homeri versibus illum maxime probabat, ubi de Agamemnono suo inquit: *βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς : κρατερός τ' αἰχμητής* bonum regem fortem quoque pugnatorem esse oportere designans. Quod et Flaccus monebat:

Angustam, amice, pauperiem pati  
Robustus acri militia puer  
Condiscat, et Parthos feroces  
Vexet eques uictuendus hasta,  
Vitamque sub divo et trepidis agat  
In rebus.

Sic Aeneas invitat Ascanium:

Disce puer virtutem ex me verumque laborem.  
et Evander Pallantem suum cum Aenea mittere non dubitavit,  
ut sub eo militiam et grave Martis opus tolerare assu<sup>30. b</sup> es-  
ceret. Verumtamen incredibile dictu est, quantopere sibi conciliet  
animos et civium et externorum humanitas regum et princi-  
pum, ut de Alexandro et Caesare legimus, quos magis ob eo-  
rum mansuetudinem quam fortitudinem milites tantopere di-

lexerunt; nam fronte et oratione magis capiuntur homines, quam beneficiis ipsis. Sed erga litteras quem animum habet Matthias vester?

SIG. Supra quam credi possit de principe tam magnis rebus implicito, maxime vero legendis audiendisque historiis delectatur.

LOD. Optimum sane ac regium scribendi genus historia est: nam, ut inquit Cicero: Historia testis est temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuncia vetustatis. Hoc facile concedent omnes. Quis enim est, qui neget cognitionem historicorum ||<sup>31</sup> optimo cuique regi maxime necessariam esse? Ex historiis enim cognoscuntur quales extiterint veteres illi homines immortalitate digni, cognoscuntur eorum in regendo imperio artes et consilia, cognoscuntur in pace et bello res illae divinitus gestae, admirandaque virtutes in maximarum laudum genere: quarum rerum lectione his temporibus noster aliquis sapientissimus princeps sumere potest documenta, et in magnis rebus administrandis propnere sibi priscorum hominum clarissimum lumen, exemplisque et cogitatione eorum consilia sua confirmare. Nam etsi gloriosissimus princeps Matthias suapte natura, tam ingenio sapit, tam animo audet, ut ad gerendas res maximas nullis exemplis veteribus egare videatur, ad omnia ||<sup>31</sup>. b enim valet ipse suis consiliis, ei non est necesse uti alienis vestigiis: tamen in isto tanto lumine et tanta acie ingenii sui, si sibi priscorum hominum imaginem proponat, confirmare potest se ipsum; et in omnia suscepta negotia sua cum maiore alacritate incumbere: cum videat se ipsum id iudicare et sentire, quod prisci illi viri iudicaverunt et senserunt. Quotiens clarissimorum virorum exemplis ad capessendam virtutem excitati sunt principes, atque ad antiquorum imitationem generosa quadam aemulatione incensi, quemadmodum et Q. Maximum et P. Scipionem dicere solitos accepimus: cum maiorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi, et memoria rerum gestarum eam flammam ||<sup>12</sup> egregiis viris in pectore crescere, quae sedari prius non poterat, quam eorum famam et gloriam adaequassent. Quis enim,

cum in historiis legerit M. Attilium Regulum acerbissimis doloribus et crudelissimis suppliciis affici, quam fidem hostibus datam fallere maluisse, non se hoc modo instituat, moriendum potius quam aliquid turpiter faciendum? Quis, cum intellexerit Decium seipsum pro civium et exercitus incolumitate devovisse, non ita se comparet, ut nullum pro salute patriae periculum subire formidet? Quis, cum ex historiarum monumentis perceperit maiores nostros, Pythagoram, Archytam, Platonem tanto studiorum amore flagrasse, ut totum pene orbem maximis laboribus peragrarent,<sup>[32. b]</sup> non ardeat incredibili quodam desiderio litterarum? Tanta est, mihi crede, exemplorum vis, ut animum etiam ad difficillima, et quae pertimescenda esse videntur, inducere possint. Interrogatus Themistocles ille Atheniensis, summus vir, cur noctu quiescere non posset? Miltiadis trophaca, respondit, me oculis somnum capere non sinunt. Et Magni Alexandri victoriae ad mentem saepe recursantes dormientem Caesarem excitarunt. Quis ergo negare audeat historiam summa esse cognitione dignissimam? Nam nihil aliud scire, nisi quod temporibus nostris factum sit, id mihi videtur semper esse pueros. Unde Alexander Mammeas unus ex numero imperatorum in consilio suo praecipuos habuit historiarum peritos, propterea, quod<sup>[33]</sup> ex praeteritis et antefactis melius atque maturius futura dignoscuntur. Quae cum ita sint, cui mirum videri debeat, si omnes, qui unquam fuerunt clari et optimi principes, aut ipsi litterati extiterunt, aut saltem litteratos in summo precio et honore habuerunt, eosque incredibili quodam amore prosecuti sunt. Nec enim aliter civitates recte administrari possent, licet plerique aliter arbitrentur, qui nullo praesidio muniti, nulla doctrina suffulti, nulla virtute ornati, nulla scientia exculti, nullo rerum usu praediti, ad rerum publicarum gubernacula impudentissime accedunt: nihil recte fieri putantes, nisi quod de stultissimo capite suo agatur. Omni sapientia inclitum regem Solomonem non Iudeos modo principes, sed cunctos superasse Graecos philosophos, regesque Aegyptios atque<sup>[33. b]</sup> orientales, constat. Apud Romanos Catonem superioriem, tantum in illa Republica moderatorem

et principem, in omni litterarum genere floruisse legimus. Qui, ne sibi quicquam decesset, etiam in senectute graecas litteras didicit, et quotiens in senatum veniret, semper librum aliquem sub ala portare solebat, ut, si nondum frequentem senatum inveniret, donec congregaretur, lectitare interim aliqua posset, ne quid temporis perderet. Scipioni Africano Pauli Aemilii filio nihil de bonarum artium cognitione defuit, cum etiam scripta Terentii ad Scipionem referantur. Iulio autem Caesari ea cura de litteris ac litteratis fuit, ut magnis praemiis undequaque peritos alliceret, atque, ut remanerent qui essent in urbe, constitutis honoribus hortaretur; se quoque adeo litteris <sup>b</sup><sup>34</sup> dedidit, ut peritorum omnium iudicio etiam doctissimis aequaretur. Ita eloquentiae studuit Caesar, ut cum Cicerone ipso, romanae facundiae principe ac lumine, certaret atque contenderet. Eodem tempore C. Caesar pro suo illo animi vigore praestantissimo legebat, scribebat, respondebat, audiebat, et scribentibus quaternas aut etiam septenas dictabat epistolas. Tanto studio magnus ille Imperator Octavius in litteris versabatur, ut horas, quas ad legendum constitutas habebat, eas nunquam in alia re quam in litteris occuparet, omnia saeculi sui beata ingenia munificissime fovit, non solum orationes, sed et dialogos et poemata integra patienter audivit, et cum frumenti penuria quodam tempore usque adeo Romam urgeret, ut qui essent peregrini, quive artium <sup>b</sup><sup>34</sup>. mechanicarum et vilium artifices viderentur, ex urbe edicto publico pellerentur: Octavianus Caesar honestarum artium professores, ac nominatim medicos et oratores, ut remanerent, exceptit. Titus Vespasianus, cum ingenium, ad quaecunque vellet, promptissimum haberet, litteras et arma tractavit, aequo consilio bonus et manu paratus erat, graece vero ita loquebatur ac scribebat, ut natus in ipsa Graecia videretur, cantorque ac scriptor fuit egregius. Hadrianus, item amator litterarum, doctos et dignitatibus sublevavit, et opibus perditavit: iniquos existimans illos non divites et honoratos esse, qui optimas disciplinas et optimos vivendi mores ceteros docerent, et ipse bonas omnes didicit artes. Modulator praeterea, caelator, pictor,

factor excellens fuit; ingenio autem, quo cunque <sup>a</sup> se vertet, omnia longe melius manu sua; quam qui in ea re periti artifices erant, fabricavit. Aurelium Alexandrum, qui et Mammeas appellatus est, ex christiana matre natus, nulla res unquam adeo impedivit, quin die quavis temporis partem litteris, partem armis daret, historiarum vero scriptores atque poetas maxime coluit: metu ductus ne quid de se vituperandum ad posteros memoraretur. Theodosius Iunior bonarum artium disciplinas didicit non solum ut sciret ac peritus videretur, verum ut sciens operaretur honesta, et ingenium exerceret ad virtutem. Laboribus enim corpus, litteris vero dedit ingenium, dicens: humanos sensus sic comprimi et castigari posse. Martianus litteras, quas iuvenis ac privato in statu contempserat, <sup>b</sup> imperator factus discere procuravit, quum illos non appellandos homines esse perceperit, qui litteras ignorarent. Docti enim ab indoctis tantum differunt, quantum viventes a mortuis. Robertus Siciliae Rex inclitus atque philosophus, increpatibus amicis, quasi operam sapientiae regibus dare non liceret, quod tantopere in philosophiae studiis vigilaret, respondere saepe numero auditus est: sè, si ita necesse esset, regno privari potius, quam litteris velle. Quod prius Alexander Magnus ad Aristotelem scripsit, malle se singulari doctrina quam singulari potestate praestare, et cum inter ornamenta Darii Persarum Regis a se devicti capsulam quandam preciosissimam repperisset, non ad alium usum esse voluit, quam ad Homeri sui vaginam et veluti vestem quandam. <sup>c</sup> Et cum in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset: O fortunate, inquit, adolescens! qui Homerum rerum tuarum praeconem invenisti! Et recte quidem, nam nisi Homero litterarum principi et parenti ars illa extitisset, idem tumulus, qui Achillis corpus contexerat, res quoque illius obruiisset.

SIG. His tantis principibus invictissimus Pannoniae Rex Matthias adiungi potest, quem fidei nostrae fortissimum clypeum appellare possumus, et debemus, qui, quamquam assidue bella gerit, acerrima cum gente illa, importuna et nomini christiano infestissima, tamen etiam de novo in Pannonia,

studio erigendo cogitat, et nisi cavetis, praeclara quaedam ingenia vobis eripiet.

LOD. Utinam dies illa cito adventet, qua Romanorum regem, imperatoremque <sup>¶</sup><sup>36.</sup> <sup>b</sup> Matthiam videamus. Sic enim et patris, et sua ipsius merita deposcunt atque efflagitant; et quemadmodum super Matthiam apostolatus sortem cecidisse novimus, ita de altero Matthia nobis sperare conceditur fore aliquando, ut ei sors imperatoria contingat, quod si, ut confidimus, evenerit, o qualem tune ad Caesarem Matthiam orationem habebimus, cum in Italiam coronationis gratia proficiatur! Tunc meum in Pannonios amorem omnes homines intelligent.

SIG. Si te orantem, o Lodovice, Matthias audiret, maioribus, mihi crede, et honoribus et muneribus afficereris ab eo, quam ab Italis istis tuis, qui mihi tardiores et frigidiores videntur, quam litterarum tuarum dignitas postulet; et certe curabo diligentissime, ut ad eius manus <sup>¶</sup><sup>37.</sup> disputatio haec nostra perveniat, ut eius maiestas intelligat se in Italia quoque habiturum ardentissimum praeconem rerum gestarum suarum.

LOD. Debemus quidem hoc facere omnes, quibus dicendi aut scribendi facultas data est, ut meritis laudibus afficiamus generosos principes. hanc enim potissimam mercedem virtus desiderat: gloriam, quod officium gratius esse consuevit, si ab iis fortasse praestatur, quibus maxime convenit, quiique aliquo pacto videantur obnoxii: quod mihi usu evenire et agnosco, et fateor. Nam si Pannonii propter eloquentiam Ferrariam colunt, debet Ferrariense ingenium et eloquium Pannonios colere et exornare. Itaque non desinet Carbo tuus fortissimum et sapientissimum Regem Matthiam <sup>¶</sup><sup>37.</sup> <sup>b</sup> cum dulci Praesule Sigismundo suo in nominis immortalitate coniungere.

X.

THOMAE FREMPERGERI

HISTORIA TRANSLATIONIS TVNICAE CHRISTI DE  
HVNGARIA AD COLONIAM.



## HISTORIA TRANSLATIONIS TVNICAE

IESV CHRISTI DE HVNGARIA AD INCLITAM CIVITATEM COLONIENSEM AD MONASTE-  
TERIVM ALBARVM DOMINARVM, VBI TAM AB INCOLIS QVAM EXTRANEIS INCREDIBILI  
HONORE VENERATVR.

---

Omnibus et singulis Christi fidelibus praesentibus et futuris hanc praesentem paginam inspecturis gratiose innotescat. Quoniam altissimus benignissimusque Saluator noster Dominus Iesus Christus post non modica solationis iocunditate speciali divini luminis irradiatione miro modo cum suis et in suis amicabiliter esse solet favoro.

Erat enim quidam devotus ac multum religiosus presbyter in Hungaria, capellanus cuiusdam illustrissimae Reginae Hungariae, qui dictus presbyter XXXIII annis absque esu carnium fertur ieunasse perseveranter, plerisque vicibus fideliter ac devote in suis orationibus prostratus orans, concupiscendo videre Dominum Iesum Christum, sicut ipse in mundo humานiter in vita sua sanctissima fere consueverat. Tandem divinitus tali devoto viro omne bonum desideranti, in quadam sua nocturnali visione pic ac consolanter investigatum erat, utrum Salvatorem suum in pueritiae aut passionis suac apparatu vellet intueri. Qui respondit: quod desideraret et vellet eum videre in statu suo puerili. Unde insuper idem religiosus presbyter non modico divinac consolationis rore repletus ac mystico spiramine accensus, quasi non valens spiritum suum amplius pree amoris dulcedine incensum erga Salvatorem suum ferre, tunicam de serico blaveo puerilem fieri fecit, et

eandem tunicam tempore celebratinois suae missae super altare posuit, sicut ei iussum fuerat per divinam revellationem. Elevatione corporis et sanguinis Iesu Christi facta, Salvator noster in apparatu puerili dicta tunica induitus dicto sacerdoti apparuit. Quapropter idem presbyter visione huiusmodi exhilaratus, in celebratione missae moram fecit diutinam in praesentia Reginae Hungariae quasi ad tres horas, sicque Domina Regina Hungariae de mora sua ammirata, quaesuit ab eodem diligenter et affectuose: quare celebrationem huiusmodi protunc plus quam alio tempore protractisset. Celebratione completa vocavit ad se Regina praeformatum sacerdotem, cupiens investigare de mora celebrationis et de visione. Cum autem Domino Iesu complacuit, ab oculis sacerdotis evanuit, et tunicam blavei coloris in altari sacerdoti reliquit et consolationis causa dimisit. Qui sacerdos satis motus propter Reginae preces instantes, eidem Reginae, licet renitens, secreta sua huiusmodi revelavit. Haec enim ab ipso Regina audita eidem sacerdoti instantius ad haec pro eadem tunica supplicavit, et suis precibus multifariis per ipsius sacerdotis traditionem et assignationem dictam tunicam praelevata Regina fuerat adepta et consecuta. Deinde quibusdam annis transactis erat quidam dominus et frater honestus valde et religiosus ordinis hospitalis Beatae Mariae Theutonicorum Iherosolitanorum, habens sororem virginem claustralem monasterii Beatae Mariæ Magdalena ad Albas Dominas infra civitatem sanctam Coloniensem. Qui dictus honestus dominus commendator venerat cum magno exercitu ex Prussia in auxilium Regi Hungariae ad debellandum perfidos Turcos. Cum ille dominus commendator obtinuissest victoriam de inimicis, voluit Rex Hungariae eidem commendatori mercedem laborum suorum reddere, videlicet aurum, argentum, et alia munera preciosa. Quibus omnibus a dicto domino commendatore spretis, nil neque in pecuniis neque in clenodiis habere voluit a Rege, sed magno cordis affectu postulavit a regia maiestate sibi illam Domini nostri Iesu Christi dari tunicam, quam Regina cum suis reliquis haberet absconditam. Tunc Rex cum multis precibus a Regina impetravit ac postulavit illam tunicam Iesu Christi,

quam apud se haberet cum suis regiis clenodiis, et Deo omnipotente disponente et Regina favente et annuente, quod postulaverat Rex Hungariae, impetravit ad laudem Dei et honorem a sua uxore, retenta tamen eiusdem tunicae manica sinistra ad perpetuam huius rei memoriam. Quam tunicam idem dominus commendator ulterius sorori suae praescriptae moniali in monasterio praefato dedit, et sub bona fide commendavit, ac in scrinio deaurato quinque seris bene munito plicatam imponi fecit, assignavit, et cum lytris suam sororem adiuravit, ut nulli hominum neque tunicam, neque miraculum manifestaret, quoadusque ille veniret ad praefatam virginem sororem suam. Sed Deo volente, in cuius conditione cuncta posita sunt, idem dominus commendator diem suum clausit extreum antequam ad patriam suam rediret. Devota vero virgo summo desiderio mandatum fratris implere cupiens, posuit scrinum cum tunica et aliis reliquiis in capsulam bene munitam, et nulli hominum illud indicavit. Sed Deo, cuncta cognoscente antequam fiant, disponente eadem virgo etiam migravit a seculo iuxta terminum suum, quem Deus ei constituerat, et sic in eodem scrinio ante eius revelationem centum et quinquaginta annis pro aliis reliquiis sanctis tunica conclusa permanxit. Postea autem anno Domini MCCCCXII venerunt quidam peregrini de Hungaria, tempore septennae visitationis Beatae Mariae Aquensis, cum magna multitudine, instanter postulantes ipsis ostendi tunicam Iesu ibidem, videlicet in monasterio sanctae Mariæ Magdalena, absconditam. Allegans ipsis ex fama et speciali nutu divinae inspirationis eis revelatum fuisse, quod in eodem monasterio tunica sericea blavei coloris sinistra manica carente pro intersigno, ut ipsi asseruerunt, recondita esset, quae quidem manica sinistra eiusdem tunicae in quodam claustro Beatae Margaretae in Hungaria infra insulam supra Danubium prope Budam devote et reverenter coleretur, petieruntque instanter ipsas virgines dicti monasterii, quatenus eis huiusmodi tunicam monstrare dignarentur, dicentes se nullatenus ab ecclesia recessuros nisi prius huiusmodi tunicam vidissent ibidem reconditam. Quibus ita diligenter scrutantibus et potentibus, ut praemittitur, saepe dictae virgi-

nes de eadem tunica penitus ignarae, capsas in carum ecclesia dicta positas, in quibus reliquias esse noverant, aperiebant, tunicam vero non repererunt. Hungaris enim recedere nolentibus, nisi tunica antedicta prius visa, aperiebant capsulam unam quinque seris solide munitam, in qua tunicam huiusmodi plicatam ac in serineo aureo locatam invenientes, dictis peregrinis ad eorum vota (Deo gratias agentes) publice demonstrarunt. Videntes igitur dicti peregrini ipsam tunicam, multum gavisi laudarunt Dominum Deum cum iubilo dicentes: Quia verax est in sermonibus suis ec. Sieque praefata tunica primo inventa est, et ostensa, quae non solum ab Hungaris et incolis civitatis Coloniensis, sed etiam a diversis diversarum partium peregrinis Coloniae ad dictum monasterium confluentibus magna devotione veneratur ad laudem et honorem cunctipotentis Dei semper gloriosi.

Haec autem revelatio seu inventio tunicae pueri Iesu per revelationem divinam et internam inspirationem Domini nostri Iesu Christi devotis peregrinis in Hungaria positis miraculose manifestata facta est Anno Domini MCCCCXII vicesima die mensis iunii. Ab illo tempore dicta tunica in maiori reverentia non solum ab Hungaris, sed etiam ab incolis Coloniensibus et aliarum nationum peregrinis cum devotione visitata est, et in dies magis ac magis visitatur cum devotione.

Ego Thomas Fremperger Baccalarius artium et medicinae, tum temporis capellanus Illustrissimi Principis et Domini Domini Maximiliani Ducis Austriae, Stiriae, Carinthiae ec. profiteor me vidisse manicam sinistram huius tunicellae Iesu, quae est recondita in Monasterio Sanctae Mariae Magdalena ordinis Canonicorum Regularium ad Albas Dominas Coloniensi, tempore Regis Ladislai in Civitate Buda, quae dicitur Insula, in monasterio Beatae Virginis Margaretae. Ego et quam plures alii qui viderunt, et qui etiam praesentes fuerunt in Colonia cum Serenissimo Imperatore Frederico et Illustrissimo Maximiliano eius filio Anno MCCCCLXXIII.

---

XI.

IANI VITALIS PANORMITANI  
DE VNGARORVM CRVCIATA FACTA ANNO M. D. XIV.

---

ACCREDIT ANONYMI EPISTOLA DE EADEM.

---



## IANI VITALIS PANORMITANI

DE VNGARORVM CRUCIATA FACTA ANNO 1511, ET DE INFANDA SAEVITIA VIRINQUE  
PATRATA.

AD IO. BAPT. PISONEM FERARIENSEM.

Thomas Sacrosanctae Ecclesiae Cardinalis Strigoniensis titulo S. Martini in Montibus, Legatus universi Regni Vngariae superiori anno creatur, magnoque apparatu ad legationem proficiscitur; habitis a Leone X. Pont. Max. omnibus privilegiis ac ceremoniis, quibus opus fuerat; quod sciens Caesar, ut optimus divinae fidei miles, bellum in Tureas per literas legatum indici hortatur. Hoc igitur consilium plurimum mente voluntans Thomas, multa privilegia ad religionem attinentia ob id arma capere volentibus concedit, ac crucis signo eorum pectora obsignat, quorum multa serica suis manibus consererat, ab eoque signo cruciferos, vocari iubet milites, quos nos Evocatos crucis appellamus.

Innumeri undecunque agricultae relictis pagis ex Emona, ex Siscia, ex Dravi et Savi ripis; multi Arivates, Azali, Amantes, Belgires, Carthari, Cornaeates, Ervisei, Hercuniates, Latonisci, Vseriates, Varciani et multi ex monte Claudio, multi Scordiscurum, Taurisci, ex Merubarre, ex Segestica insula, Sirmenses, Amantini, et multi, quorum nomina non succurrunt, in varias devenero legiones; inque dies numerus maior auctus est. Tum a maioribus ac primatibus totius regni fidem ac auxilium exposcent; quibus denegatis, quasi pro ludibrio habiti sunt. Quare indignate iam bellum minitantur

omnibus praeterquam Regi ac Cardinali. Quinque millia caputum descripta sunt, ac ingente rusticorum copia bipartita, Melchiorem Mouder (ita enim appellabatur) alteri praesidere iubent, qui ita dici voluit : Melchior Dei Gratia Rex benedicti populi cruciferorum, amicus et subiectus Ladislai Ungariae Boemiae ect. Regis et electus Sancti Patris Cardinalis Sancti Martini in Montibus, inimicus praelatorum et omnium Pannonio praesidentium regno; alteri vero Georgium Siculum, nam ibi etiam, ut aiunt quidam, ex Sicilia Siculi appellantur, deligunt Ducem, qui eosdem titulos ab altero sibi assumpsit. Ambo vero eisdem ex parentibus oriundi sunt, nullisque legibus, nullaque rei militaris disciplina muniti; sed potius robore ac propriis viribus corporis confisi, reliqua parvi pendunt. Continuo igitur, qui summo eorum magistratui praecerant, abaectores circa nobilium praedia ac villas innittunt, qui iumentorum, carrorum et rerum ad victum attinentium innumeram multitudinem depopulati, quae auferri non possunt, igne undecunque incendunt, ac inexpiablem saevitiam in ea exercunt; tale enim eorum ingenium est, ut ad interneum usque omnia insequantur.

Cum vero Thomas rem impetus prosecutam ac prosequunturam audiret, valde et sibi et nobilibus timore cepit, ne maioribus militum legionibus coactis, in Regem, in eum ac nobiles inimicos exoluissent animos; ideoque erga ipsum ob maiorem regni benevolentiam privilegia antea concessa revocat, vetatque aliquem signo crucis signatum esse pectus, multamque id exequi nolentibus minatur, prohibet eum illis commercium haberi, illisque igne et aqua interdici visum est maiorem ad rei timorem. Et haec omnia quinque milia passuum a Pesto, quae urbs est Pannoniae, per legatos nunciata sunt. Aliqui religione potius quam timore commoti, ab inceptis sese retrahunt, domumque reverti potius, quam credere se variis belli fortunis eligunt. Incertis ergo animis legiones nutant, neque apertum est, utrum maior pars desistat, neque qui desistant. Praeterea duo vexilla erecta sunt, illisque crucifixi imago lignea alligatur, factumque est, ut si qui prosequi mallent alterum duorum, proficiscerentur; et sic e contra hac via

opinio omnium patuit; multo enim plures sunt, qui repugnant velle prosequi, quam qui malleant: et hiis, qui repugnabant, facinus observandum accidit. Nam dum vellent dominum versus iter facere, imago quae alligata vexillo erat, dissolutis vinculis in faciem humi procubuit, quo easu iterum atque iterum ligaminibus tenacissimis alligaverunt labefactatam, neque eam sibi affirmare potuerunt. Hoe igitur ostento consternati animi, sententiam mutare inceperunt, odiumpique armis retegere mente affirmant. Paulo vero post quandam ex nobilibus acuta sude perfossum confecerunt. Inde rupi mercatorem ditissimum quinque milia passuum a Buda urbe regia cum XII affinibus, incensa ac solo aquata eius villa, trucidarunt. Quae obsidio perduravit triduum.

Interea re auditâ, ac ingenti saevitia divulgata, a Varadino, quae Pannoniae urbs est, mille equites ex nobilibus armantur, ac contra hos egrediuntur. Nam duobus milibus passuum distabant. Conserunt pugnam, necatis CCCC ex nobilibus, victoria potiti sunt crucis evocati, iamque in urbem invadere designabant, quod veritus populus, Budam confugunt. Ladislaus Rex valde turbatus est accepto tam magnae cladi nuncio, ac duce Parcamesa Budanos in erucis evocatos immisit, qui occupato Pesto se ac suos propter inimicorum multitudinem maximam a praelio abstinuit, Budamque pedem referre satius esse decrevit. Crucis autem evocati, qui insignem calamitatem nobilibus intulerant, insidiarum ancipites certum neque continuum habent locum, et quotidie castra mutant, quotidianasque excubias ac vigilias eligunt, pauperibus nihil molestum afferunt, neque quicquam vi agunt, sed precio antea soluto cibaria, et ea, quibus opus est, expetunt. Budae quidem, ubi est regni sedes, duo concionatores ex pullico populum ad concionem vocant, eique persuadere conantur, futilibus ac frivolis licet rationibus, magis prodesse in evocatos arma sumere, quam pro illis manus scelerare. Tum nisi illicio effugissent, a vulgo ignobili turpiter ac foede fuissent accepti. Super hiis accensus Ladislaus, populum contra evocatos proficiisci iubet una cum nobilibus, quod minime populo placuit. Hinc magna apud plebem cum nobilibus seditio

exorta est. Evocati interdum, quotquot nobilium si apprehendere possunt, eorum corpora acutissimis sudibus transfodiant ante uxorum et liberorum oculos; neque hoc satis videtur vindictae, sed coram maritis miseras uxores stupro violant, omnisque exercitus vulgata et aperta venere, tanquam homines plantarent, exanimatis incumbunt puellis, quarum multae, dum prostrarentur, animam expiravere ob assiduitatem concubitus, multitudinemque rusticorum rem venereum palam qua lubet patrantium. O facinus et Diis et hominibus invisum! o impudentes bellugas! o immensam ultionem! Sie pro candida religione pugnandum putatis? hiis manibus sacram Dei veri effigiem fertis? hiis oculis Deum aspicitis? hoc Deos pati existimatis? Haec tamen sola vox morientibus hominibus frequens erat: Cives vestri sumus. Post haec quidam nobilis, nomine Dacii Michaelis, ex Regis ad evocatorum castra aufugit, quem summum ducem legionum eligunt. Maximo id factum detimento primatibus fuit; nam is multa bellica tormenta in nobiles apparavit, ignarosque paganos continuo ad rei militaris instruxit ritum. Et iam in tantum numerus concreverat, ut sint plus quam centum milia militum omnes unanimes: sed diversis in locis divisi. Hiis denique exactis Episcopum Zagraviensem multis cum principibus ac praelatis palis acutis transfixere.

Rex summus eorum Ladislauum per litteras certum facit, se non paessurum in Pannonio regno esse practer Regem unum, solum praelatum ac luos, ceteros autem penitus extirpare velle. At Rex furore actus, multis a Caesare Suevis ac Alamanis habitis, Ioannem Vaivodam cum magna peditum levis armaturae, equitum cataphractorumque vi in eum movet, qui collatis signis pugnam conserunt, hostes caedunt, profligantque, qui paucis ex nobilibus amissis dux multos evocatorum cepit, neque eos iugum subire patitur, sed captivos Budam abducit, a quibus poenas sanguine et inexcoigitatis suppliciis repetitum est. Magnis ergo triumphis victor exercitu Budam ingressus est, statimque acceptis primatibus ex evocatis, nudos in praelongis sudibus ferreis catenis alligant eorum ministri, vivosque ad ignes torrent; alios crucibus

affigunt; alios cuto exspoliant, vivosque ita per aliquot dies sinunt. Nonnulli quadripartiti canibus exponuntur; multi ingenti rota effracti crura, brachia, totunque corpus multas dies miseram vitam traxerunt, complures securi percussi, innumerique in arboribus acutis vitam finiere. Deinde arrepto Melchiore Mouder; eoque ad umbilicum usque adaperto, sanguinem inde fluentem Georgio fratri potandum dedere; post ligno adacto per viscera spectaculum populi fuit. Dehinc frustum dissectus ac assus elixusque suos satellites saturavit. Georgius vero scala quadam alligatus, a suorum dentibus vivus dilaniatur, deinde corona candente ex vomere effecta coronatur ut Rex Vngarorum. Post haec caput ei amputarunt, membraque decoxerunt, eiusque militibus apposita sunt. Reliquis autem cum hiis, qui duces suos comedenterant, viscera extracta, non tamen penitus, clavis ferreis lignis affixere, qui sic virgis caesi sunt. Post autem atrocem et meritam mortem Georgii et fratri ingens copia alibi reintegratur, cuius dux est quidam sacerdos de numero adhaerentium Georgio, qui erat in obsidione urbis Varadiensis; qui audito facinore, furore actus impetuose Varadinum debellavit, eiusdemque urbis omne vivens ab homine ad pecus variis suppliciis examinavit, exceptis eius signa prosequi volentibus, ibique omnes cellas vinarias bene munitas invenit. Tum urbe relicta in campos tentoria tendit.

At Ioannes Vaivoda, praecognita re, maximam cum illo pugnam inivit. Is vero non expectandum sibi decrevit, duobus milibus militum ex utraque parte necatis, reliqui se fugae mandarunt. Nobiles, pacatis rusticorum ira ac animis, ad concionem venere cum quatuor milibus equitum, sexdecim milibus passuum a Buda; et accersitis quotidianiis arbitris, de ultione in Cardinalem agebant. Thomas vero omnia praecognoscens, septem milia Boemorum, peditum ac equitum, ad se ascivit, quorum potior pars sunt, quos sceloparios vocamus, secumque adduxerunt CCCC carrorum cum viatico, ac CCCC-CCCC bellicorum tormentorum, quae serpentarias Germani vocant, ac pridie Calendas Septembbris Budam ingressi sunt duce quodam Bartholomaeo. Multi eorum clanculum a Pan-

noniis interficiuntur. Dehinc mille passibus a Buda castra locarunt. Tunc Rex nobiles per legatos accersit, qui respondere: si Bartholomaeus cum cohorte inde abiret, se mandata facessere. Tunc Rex ac Thomas Boemos dimisere, qui abeuntes quinque milia boum ac innumeratas oves abegerunt. Eis in confinibus iter impeditur ab Pannoniis. Sed vana est sine viribus ira. Vincuntur Pannoniis, et maxima pecunia multantur.

Vale. Romae, 1514.

---

## ANONYMI EPISTOLA DE CRVCIATA ANNI M. D. XIV.

---

*Ein grosz wundertzaychen das do geschehen ist durch das Creutz, das ain Cardinal hat auszgeben in dem gantzen Vngerischen Landt wider die Turken.*

---

*Auszug auss ainem brieff von Ofen der an dem XXV. tag des Monadts May in Wienn geantwurt ist, vnd am Vierten tag Juwy gen Augsburg.*

T

Tem. Die das Creütz haben angenommen der sein vast vil worden, vnd meer dann yemandt vermaynt. Acht man gentzlich, das Ir sein bey Funffzig Tausend in dem gantzen Vngerlandt, sein doch nit all bey einander. Der Cardinal vnd Bischoff von Gran haben vor zwayen tagen das Crewtz wider rueffen lassen. Welcher es nit von im wöl legen, vnd wer dann mit in esse oder trinck, die sollen all in dem schweren Bann sein. Hat in etlich mal geboten, vnd in Ir heer gesandt, das ain Meyl von Pest gelegen Funff Tausent starck, In maynung sye vom Creütz zu bringen. Etlich bewegt, das sie wider haym haben wöllen ziehen. Haben in selbs zway zway Feulen gesteckt, vnd an yeglichs ain Crucifix gemacht, vnd lassen ausrueffen. Welicher bey inen beleiben, vnd mit dem Creütz ziehen wöl, der sol zu dem ainen Fannen treten. Welcher dann wider haym ziehen wöll, der soll zu dem aundern Fannen treten. Also sein dero die wider haym haben wöllen ziehen, vil meer dann der andern gewest: Do sye also bey dem Fannen sein gestannden, ist das Crucifix von dem Fannen herab gefallen auff das angesicht. Haben sye

das widerumb hyn auß gemacht, an die Stanngen stark gebunden. Also ist es zum Aunndern, vnd Dritten mal alweg auß das angesicht herab gefallen. Also, das die, die wider haym haben wöllen zichen, wider wendig worden sein, vnd wöllen all bey einannder sterben oder genesen, vnd begern nit anders, dann man soll Iuen vergunden dahyn zu zichen, wie man dann das Creütz hat aussgeben. Am Freytag vergangen haben sie zu Botzen ainen Edelman begriffen, von stundan an ainen Spiss gesteckt. Am Sambstag ist der Ruppi genant (ein Kauffman von Petta, mit sambt seinen Brüederrn) vnd Edeln Funff Meyl wegs von Ofen gewest spa ciern. Also in der frue sein die Creützer kommen sur des Edelmans Sytz, den von stundan angetzundt vnd verbrent. Haben sich die Edelleüt gewert herauss, mit sambt di Ruppy; den sie auch fur ain Edelman gehabt, So lang byss sie das fewer auss dem hauss getriebn hat. Also hat man die Edelleüt mit dem Ruppy selb, zwen vnd zwayntzigist erschlagen, vnd den Edelman des der Sytz gewesen ist, zu klaynen Stucken zer lawen. Ist warhaftig geschehen am Montag vergangen zwo Meyl von Wardein. Nun haben sich bey Tausent Edel mannen mitsambt Iren knechten, aufgemacht wider die Crewtzer derselben gegenzt zuzichen. Also haben die Creützer Ir ob Funff hundert zu todt erschlagen, vnd der Creützer sein nit ob Funfzig vmbkommen. Ich kan euch nit genüeg wunderberlich dar von schreiben, wie sie also seltzam mit dem Adel vmb geendt, ist der mertayl her gen Ofen gefloien. Der kunig hat al seinem hof gesyndt aufgebotten vor etlichen tagen bey Tausent starck, wider sie zuzichen, vnd ist der Pankamesa Ir Haubtnan gewest, vnd sindt byss gen Pest kommen, vnd sein widerumb haym gezogen gen Ofen. So empieten in die Creützer, das sie sollen kommen, sie wöllens mit Inen annemen. Also, das die leuff schwerlich steendt. Ist dem kunig vnd den herren angst vnd wee, wie sie das Creütz ab thün wöllen, ist zu besorgen, es müessents nuer frembd Nacion thün, die man sie zuvertreiben berüeffen müess.

Es kommen nun die Edelleüt, vnd klagen den Cardinal heftig an vor dem kunig, vermaynen er sey solcher ding ain

vrsach. Dann Er das Creütz also aussgeben hab. Verantwurt sich der Cardinal. Sagt wie er solehs auss gescheift Kayserlicher Maiestat, vnd der ganuzten Landtschafft zu Vngern gethan hab, darumb Er jnen brieff vnd Sigel weysen wölle. Ist zu besorgen alssbald die handlung mit den Creützern gestilt wirdt, das der gemayn Adel werdt wider die Präffen ziehen. Die gemelte Creützer thuen kaynem armen man kayn laydt, nyemandt nichts mit gewalt, vnd was man ihnen zufurt, desselben ain guete nottußt bezalen sie also par. Der Kunig vnd auch der Adel, hat die sach ye gröslich vbersehen, das sie Ihnen selbs, als ain Kueten aufgepünden. Nach dem das sye mit dem Turken Drey Jar Fryd gemacht haben, das volk nit hynab zuzichen lassen. Ich halt es für ain Straff von got auff die lewt.

Noch der Creützer halb, hat sich auff Datum frwe in Zwayen Vngerischen Klöstern hye verlauffen, das sie auss beuelich des Cardinals das Creütz widerrueffen vnd verkündt haben. Alle die wider die, so das Creütz an Ihnen haben, vnd daroum nit stellen wöllen, ziehen vnd verhelffen, dye zu todtschlähren. Sollen die genad vnd Ablas haben, als die, den am ersten die genad geben ist, die das Creütz an sich genommen haben, mit getaylt werden. Also ist der gemayn man in bayde Klöster gaugen hye zu Ofen, zu sant Johannis Barfüsser, vnd zu sant Nielas Prediger ordens, auffgestanden, vnd zu den Münichen gesagt. Wie lang Rüsten sich nun die herren vnd Edelleüt, nun bey Zwayntzig Jaren. Es ist alles puberey, Es sol kayner wider sie ziehen, die das Creütz an in haben. Wann wir ainien erfahren, der des willens ist, den wöllen wir selbs erschlagen. Vnd Ir Münnich vnd Pfäfflen. Alles das Ir sagt, ist mit vnwarheyt, wir wöllen furo an ewer Predigen vnd Singen weyter khaynen glauben haben, zu euch nit mer in die kyrchen kommen. Haben etlich Ir Hecklein gezuckt, zu den Münichen geworffen, also das bayd münnich von der Cantzel entrunnen seind, sy weren sonst gehayligt worden von den Pawern.

Der kunig von Vngern dessgleichen die Stat Ofen, lassen sold aussrussen, aber nyemands wil wider sie ziehen. Ist meniglichen (aussgenommen der Adel) mit den Creützern.

Item ain treffenlicher Edelman in dem Landt Dacy, Michel genant. Ist die tag zu den Creützern gefallen, haben Iu zu ainem oecbersten Haubtmann angenommen. All geschworen, bey Im zu bleiben. Soll in der gemelt Edelman vil geschutz geschenekt vnd verordnet haben. Das kriegsvolk, vnd der Edelman Kuesten sich auf die stundt in maynung mit Inen zuschlahren, wil meines tayls gelauben das syss nit durfſen angreyffen, als vormals auch geschehen, dann Ir zu wenig ist. Got wayss wiedas endt sol werden.

Item. Auch zu wissen, das auff datum xvij Juny. dies Jars Im gantzen Vngerlandt, auſſtrier vnd todtschlahren ist. Wann die Vngern haben das Creütz die Tureken zuziehen angenommen. Vnd sein derselbigen Creützer so vil worden, das jr ob hundert Tausent mannen, an mer enden, bey einander zu feldt ligen. Die selbigen haben ain Hautbman auffgeworffn, den sie ain kunig nennen. Welcher sich also schreibt. Melchior Bannser, auss götlicher gnaden, Ein kunig des gebenedeyten volcks der Creützer. Ein frewndt vnd vndtertheniger des Vngerischen königs vnnd nicht der herren, Prelaten, Bannerherren vnd Ritter sc. Die selbigen Creützer, schlahren all herren, Bischoff vnd Edelleüt zu todt, die sie ergreiffen, vnd nemen alles jr guet. Haben ain Bischoff, den von Hynnarn, mit vil herren vnd Edelleüten gespist. Vnd haben noch teglich grossen zulauff die sich an sie schlahren. So Rüosten sich die herren vnd Edelleut oberhal Ofen, die wollen In widerstandt thuen. Besorg aber zu schwach sein gegen solcher menig. Vnd die Creützer sein des willens herauß in entgegen zuziehen. Es gee nun wie es woll, so werden frewndt mit einander fechten, vnd ain tayl den andern vertilgen, vnd aussreyten müessen. Es wirdt die sach nit gestilt, wann der Creützer kunig, hat der Königlichen maiestat zu Vngern zu geschriben. Er wöl machen das nur ain künig, ain Bischoff, vnd Zwen herrn die dem künig dienen, Im Landt sein. Vnd die andern et Im lanng vngehorsam, vnd selb sein künig gewesen, aussreytten vnd die sach all stundt zu pöserer gestalt, begeben zu besorgen sey Der almechtig got schick es zu einem gueten endt Amen.

XII.

**BLASII DE ZALK A**

ET CONTINVATORVM EIVS

CRONICA FRATRV M MINORVM DE OBSERVANTIA

PROVINCIAE BOZNAE ET HVNGARIAE.

---



INCIPIIT CRONICA SEV ORIGO FRATRVM MINORVM  
DE OBSERVANTIA IN PROVINCIIS BOZNAE, ET HUNGARIAE CHRISTO IESU MUL-  
TANTIVM.

---

PROLOGVS.

Sicut enim rosa in spinis niveo nicens, ac rubeo splen-  
dens fulgere, et suave fragrans odore, inter urticas nascentes  
phreneticis capitibus remedium praestat, ac omnibus late  
diffundit odorem; ita saneta Minorum observantia inter pe-  
stilentes ex tribulationibus orta, rectae viae, aeternae vitae  
redolet odore, et omnium virtutum in orbe universo pullulat  
laude decora, cuius odor suavis, et in patria apud Deum in  
coelis, et angelis, et animabus beatis, cuius splendor admirabilis  
in throno altissimae sponsae, Sanctae Trinitatis, id est in  
Ecclesia apud Christianos, et etiam apud omnes infideles, et  
ab ecclesia abscessos, peccatores excitando, salutis eis praestan-  
do remedium, iustos et poenitentes exemplo suae immutabilis  
perseverantiae roborando, et inducendo, ut hie gratiam, et  
gloriam in futuro valeant adipisci in saccula saeculorum  
Amen.

Reverende Pater! Quamvis ab ore vestro in mandatis  
aceperim, ut gesta praelatorum familiae Minorum describere-  
rem, et vobis mittere deberem; unde praecepta surdus trans-  
ire noui ausus, licet non plene intelligere potui utrum  
omnes cronicas generalium ministrorum et vicariorum de  
Bozna ac de Hungaria familiarum describerem: cogitavi  
ergo, ut solum gesta vicariorum observantiarum praedi-  
tarum, sicut in libro Reverendi Patris Fratris Blasii

de Zalka, quondam Vicarii de Bozna in loco de Ozora, tunc noviter per Dominum Piponem fundato, per cundem patrem vicarium praedictum consignata comperi; et a venerabili sene, videlicet fratre Gregorio de Uylak didici, qui sub obedientia omnium vicariorum observantiae de Hungaria deputato Fratre Fabiano de Kinyeres, primo vicario eiusdem familiae vixit laudabiliter, usque duxi, ut describerem, ut innotescat universis, et audientibus patefiat, ac latrantum ora obturentur, et dicentium, quod ordo Minorum sanctae observantiae de Hungaria fundatorum neminem haberet, sed quidam fratres contra suorum praelatorum voluntatem fugientes in Cher incepissent, et de eodem ipso loco nomen Cherense sibi usurpassent. Iuxta ergo huius rei praecambulum, si-  
cut rosa in spinis inter urticas nascitur, et ita observantia Mi-  
norum de Hungaria a familia Boznae ipsa similiter de litibus  
pestilentum exorta invenietur isto modo.

#### NARRATIO.

*Anno Domini milesimo, trecentesimu, tertio decimo.*

Sextus Decimus Minister Generalis post sanctum Fran-  
ciscum fuit Frater *Alexander de Alexandria*, Magister de Pro-  
vincia Ianuae in capitulo Barchynonensi electus, qui ex pri-  
vilegio concesso, ut studium generale in conventu Tholosano  
vigeret, universitatem constituit. Anno igitur Domini 1314.  
Dominus Clemens Papa Quintus defunctus est, et vacavit se-  
des Romana, Cardinalibus hinc inde distracthentibus et dis-  
currentibus, annis amplius quam duobus. Eodem anno idem  
Alexander Minister Generalis ut per annum familiam suam  
gubernasset, ad suos Patres positus est, in ara cœli tumula-  
tus, et post ipsum fere per menses XVII fuit ordo sine mi-  
nistro generali. Eodem tempore Sede Romana pastore et ordo  
ministro generali vacantibus, aliqui fratres ordini rebelles, de  
custodia Narbonensi, et Byteriis per vim armorum et armato-  
rum hominum, eiectis inde superioribus, et aliis fratribus  
obedientibus, loca sibi occupaverunt, et post hoc Custodes  
sibi, et Guardianos pro voto præfecerunt, reiectisque habiti-

bus consuetis ordinis tamquam profanis, et illicitis, habitus curiosos et deformes contra suorum superiorum praecepta ad suum arbitrium assumpserunt, plures etiam alii fratres anno sequenti, et tertio de eadem, et aliis Provinciis, ad eos contra superiorum suorum obedientiam accesserunt, et in rebellione huiusmodi perstiterunt, qui etiam contra suum Ministerium, et alios suos praecipatos et fratres veros obedientes insurgentes, de dictis conventibus eiecerunt, ex quibus multa scandala sunt secuta, excommunicationes vero et alias sententias contra ipsos a iure, vel a suis superioribus promulgatas contemnentes, et in nullo obedientes.

Demum anno Domini 13XVI celebrato capitulo in Neapoli, electus fuit decimus septimus Minister Generalis Frater *Michael de Cesena* Magister de Provincia Bononiae, et in codem capitulo eligitur magister magnae sufficientiae Frater Petrus Aureoli Parisius ad lecturam sententiarum, dicto Generali volente, quamvis alii adulatores dicebant Generali, quae sibi in electione apposuerat, ut pro viribus niteretur, ipsum impedire, quibus tamen notabile verbum ipse Generalis respondit: Absit, inquit, ut quavis offensa tantum Lumen ordinis a me extinguat. Eodem anno de Ludunio Dominus Iacobus de Ossa Cardinalis assumptus est ad Papatum. dictusque est Ioannes XXII. Invalescente ergo peste factum singularium praedicatorum maxime in conventibus Byteriis, et Narbonae, de voluntate Domini Papae Ioannis idem Generalis Minister ad eorum temeritatem comprimendam misit illum, ipsi vero ad sedem apostolicam appellaverunt. Dominus vero Papa legationem commisit fratri Michaeli Monachi de ordine fratrum minorum inquisitori pravitatis haereticae, qui attendens dictam appellationem multa frivola continentem appellationi non detulit, sed de mandato supradicti Generalis appellantes punivit.

*Persecutio ordinis maxima Anno Domini 13XXV.*

Fuit Perusii capitulum generale celebratum, in quo quaestio de Christi paupertate fuit determinata, quae iam in euria

coram Domino Papa inceperat ventillari, super quo non modicum fuit indignatus, et succensa est ordinis maior tribulatio, dum iam videretur esse sopita, quae habentur inter gesta fratris *Godislai* quintidecimi ministri generalis. Illo autem tempore Domino permittente totius ordinis adversarius contra ordinem Minorum insurrexit. Nam aliqui fratres pondere propriae temeritatis, et diabolico impulsu ab altitudine religionis perfectissimae in barathrum peccatorum cadentes, totum quidem aedificium istius religionis conquassarunt. Nam et Christi vicarium in indignationem maximam commoventes, inde fama tribulationis per ordinem tanta diffunditur, ut clare Beati Francisci vaticinium impleri videretur, misit enim blandientes suos daemones, qui tantam brigam inter mundum et fratres posuerunt, quod ad humilitatem ordinis redire humiliati reducti sunt, et inviti. Attende Lector in hoc magnam excellentiam ordinis, sicut enim caput eius beatus Franciscus fuit Christo in mundi abiectione et carnis cruciatione conformis in hac vita, ita sua religio sanctae ecclesiae sponsae Christi, fuit similis super omnes religiones. In prosperis, et in adversis crevit enim subito vitis ecclesiae et palmites extendit usque ad fines mundi, similiter et granum sinapis, omnibus seminibus minimum, ita fratum minorum religio in arborem magnam ramos suos extendens (iuxta typum arboris Danielis) usque ad mundi fines, et sicut olim apostolorum, ita fratum minorum praedicationis sonus lustravit omnem terram. Item sicut illa magna sagena conclusit bonos et malos pisces, ita in hac religione; item sicut in agro optimo tritico inimicus homo zyzaniam superseminavit, ita in ista religione flat ventus in mari, movetur Petri et discipulorum navicula, Christo dormiente fluctibus agitatur, ita ut plene mergeretur: sic fluctuat Francisci religio, et tribulationum flatibus ita movertur, ut Christus eius protector pene dormire videretur, sed sanctorum fratum orationibus, quasi discipulorum clamoribus, excitatur, surgit illico Christus, et ventis et mari imperat, et cessavit tempestas, et facta est concupita tranquillitas, oravit Christus ut non deficeret fides Petri, promisit et ipse Beato Francisco, ut quantiscunque tribulati iibus concussa fuerit

paupercula haec religio sua , salva semper munere suo permanebit, quare ergo in maioribus tribulationum fluctibus quisque fratrum dubitare audeat? Nihilominus tamen haec innocentissima religio cum ecclesia fluctuare poterit, sed perire non poterit, tamen propter malorum culpas induit verecundiam, et ruborem, sed Christus eius sponsus huiusmodi angustias ex diversis dignitatibus et honoribus provenientes, ante praevidens, ipsam etiam multis, tam ecclesiasticis, quam mundanis protectoribus misericorditer stabilivit: assumuntur namque ad cardinalatus excellentiam duo fratres aquitanici viri utique literati, et suae religionis ferventissimi zelatores, fratres videlicet Vitalis de Furna, et Bertrandus de Thurre, qui canum latrantium contra ordinem clamoribus in facie ecclesiac responderent : videbat etiam Dominus Infans Patriarcha-Alexandrinus, qui ex magna devotione religionis nostrae habitum quamvis velatum, tamen continuus deferebat: Quis unquam ad dilectionem ordinis huius fortius effructuit, quam eius germanus <sup>19</sup> Dominus Rex Robertus, Domina etiam Sancia regina coniux sua , quae consolabiles literas tunc ordini mittendo, inter alia inseruit, quod pro defensione ordinis suam propriam personam exponeret: imo pro stabilitate immolari parata erat. Praecesserat in regno Franciae Philippus Sextus, qui Blancam filiam suam beato Francisco in monasterio de Longo Campo obtulerat in vita, et post mortem eius cor in signum dilectionis Perusiis cum fratribus fuerat tumulatum. Regnabat tunc in eodem regno Philippus Septimus filius sororis sancti Ludovici, cum consorte sua Ioanna ordini devotissima, magnus istius ordinis defensor.

Praecesserat in regno Castellae Sancius, bonae memoriae Rex Castellae, qui primo contra fratres fuerat tribulatus. Fero omnes fratres minores de suo regno voluit expellere, in religione in igne dilectionis sancti spiritus succensus, qui praeter magna beneficia honores maximos, et favores eligit in habitu ordinis apud fratres minores se sepelliri. Reges etiam Portugaliac communiter ex deyotione ordinis fratres habuerunt conformiter, et multae reginac eiusdem regni cum habitu ordinis sunt sepultae, de quibus una est Ulyssipone, et imago eius super

sepulchrum, cum corda et habitu in Ecclesia Cathedrali, alia est Columbriae in monasterio solemni, quod ipsa vivens aedificaverat sororibus sanctae Clarae. Praecesserat etiam modicum ante in regno Aragoniae Dominus Iacobus Rex, qui tantae devotionis fuit ad ordinem, ut in ultima infirmitate, vivens adhuc habitum induit, cum proposito, quamdiu viveret deferendi; qui moriens sepultus fuit in habitu Barchioniae, qui filium suum Petrum Regem parem in dilectione ordinis tempore dictae tribulationis relinquens, qui etiam fuit post mortem Barchioniae cum fratribus tumulatus; item <sup>10</sup> uxor sua prima regina in conventu Caesaraugustae, et ultima in alio conventu, cum habitu ordinis fuerunt sepulta. Etiam Rex Maioritarum, et s. memoriae Domina Esclarunda eius consors regina ordinem satis dilexerunt, et ipsorum primogenito Iacobo ordini prolato eidem dilectionem ordinis commendando, qui in ordine finivit dies suos laudabiliter, luculenter. Item dicto etiam tempore tribulationis regnabat in Hungaria filius fratris S. Ludovici Episcopi ordinis maximus Dominus et defensor quin tota domus illa regia extunc fuit dilectioni ordinis dedicata. Regnabat etiam circa ipsa tempora in regno Cyperi reverendae memoriae Dominus Henricus, virgo purissimus usque ad mortem, quamvis uxorem haberet, et omni virtute perfectus, qui fratres intime diliebat, et in fine fuit cum habitu in conventu Nicone cum fratribus tumulatus, cuius sepulchrum est variis miraculis decoratum.

*Anno Domini 1.CCC27.*

In maiori dictae tribulationis fervore, quinto kal. octobris Dominus Elsearius comes Ariani sanctissimus, qui xxvij cum uxore sua sanctissima in virginitate absque lecti separatione vixerat, in manibus fratris Francisci de Marone Parisiis ex hac vita migravit, qui positus in extremis dixit: Gratias ago Deo meo, quia sponsam meam Delphinam mente et carne virginem reliquo, et eodem die mors eius fuit dictae uxori sanctissimae in provincia Provinciae revelata, et illa mortem sui consortis solo spiritu prophetiae cognoscens, suae familie

narravit, qui etiam sanctus comes postea eidem consorti gloriosus apparuit dicens: „laqueus contritus est, et nos liberati sumus“, et illieo disparuit, ipso vero defuneto cum habitu ordinis Parisiis fuit tumulatus, eodem anno . . . fuit translatus ad conven<sup>itio</sup> tum in provincia Provinciae, ubi tot fulget miraculis, quod finita pressione suae canonisationis breviter spectatur sanctorum catalogo adscribendus. Magna pars dictorum regum et multorum aliorum scripsit, qui vitae tunc comites erant, pro excusatione et conservatione religionis cordialissime Domino Papae praefato. Illis etiam temporibus multi fratres pro fidei confessione sacrum sanguinem effuderunt, et multi fratres floreabant tantis virtutibus et miraculis coruscantes, quod eorum fama per totum orbem redolebat. Magni etiam clerici illis temporibus claruerunt, videlicet: frater Petrus Aureoli, frater Franciscus Maronis, frater Gerardus Oddonis, qui super sententias scripta subtilia et utilia ediderunt; ex quibus patet, quod ista religio, ex aliquorum rebellium et phantasticorum, in honesta dissolutione et inobedientia fluctuabat, ex quo apparebat minus laudabilis et vituperabilis, tamen est tantorum praelatorum et principum favorabili dilatatione, et tot fratum, pro fide sanguinis effusione, aliorum etiam prodigiorm, et signorum attestacione confirmata magnorum clericorum et nobilium illustrata professione, quibus post divinam protectionem haec religio, quasi quatuor columnarum fundamento, in sua rectitudine et altitudine servabitur, tam admirabilis apparebat, ut non solum praelatos, sed et alios converteret in stuporem.

*Dominus Papa ad ordinem convertitur.*

Ab hoc ergo eodem anno, divino instinctu Dominus Papa Ioannes militiam invidorum et susurrantium, ac religionis innocentiam et solennitatem perpendens, flexus ad eam nunc compassionem, nunc afflictionem, literas multum consolatorias et favorabiles, misit Parisios Capitulo Generali, et hic ordo ad pristinum amorem a Domino Papa est acceptus.

*Anno Domini ergo M.CCCXXVIII.*

Fuit Bononiae capitulum generale celebratum, et dictus Frater Michael minister generalis per Dominum Papam ab officio absolvitur, et Dominus Frater Bertrandus Cardinalis fuit vicarius ordinis institutus, qui iussit sequenti anno capitulum Parisiis pro electione futuri generalis congregari, et constitutiones, quas minister generalis praedecessor fecerat, fuerant omnino abolitae.

*Anno igitur Domini M.CCC.XXIX.*

Parisiis capitulo generali congregato, in quo de voluntate Domini Bertrandi Cardinalis tunc ordinis vicarii actum est, ut ad tollendas cavillationes Fratris Michaelis praedecessoris ministri generalis tunc praesentis fratres doctiores aggredierentur, in quo super omnes ministros et custodes, et qui aderant, commendatus fuit frater Gerardus Oddonis, et tunc in eodem capitulo generali, ipse decimus octavus minister generalis elegitur.

*Anno Domini I.CCC.XXI.*

Fuit generale capitulum celebratum Perpiniani, in quo idem generalis Frater Gerardus Oddonis antiquam formam statutorum Domini Fratris Bonaventurae et successorum eius mutans, ex dictis sanctorum patrum et ordinis privilegiis ac statutis diversorum capitulorum generalium edidit in eodem capitulo novam compilationem generalium statutorum, in quibus novas ceremonias et ritus inconsuetos fratribus imposuit videlicet ut vestes primo ingredientium ordinem benedicerentur, et recipiendus ad professionem staret in missa conventionali ante altare prostratus, et post concessionem sacerdotis, devote et <sup>13</sup> ipse recipere corpus Christi, et praeepta legenda: Cedulam manu scripturam, vel manu alterius si neciret scribere, et dum signum faceret sacerdos, vel crucem, sive benedictionem profiteretur coram tam fratrum, quam

saccularium multitudine in manu praelati missam celebrantis. Item quod frater ultra duas diaetas, extra conventum iturus, genibus flexis praelato suo dicendo: Iube Domine benedicere: benedictionem sibi praestolaretur. Iste enim inter alios Ministros et fratres propter suam probitatem, qui ordinem in statum reduxit pristinum, et solicitam eius custodiam, ad bonum pacis et omnis virtutis in toto mundo de novo cepit pullulare. Eodem tempore tres epistolae Dominae Sanciae, Reginae Siciliae et Ierusalem in eodem capitulo fuerunt praesentatae; prima generaliter fratribus universis, alia Ministris custodibus et electoribus, tertia vero Ministro generali, in quibus probat se esse veram ministrem ordinis, quas ut eius affectio melius ad ordinem ostendatur, omnes Epistolas ipsamet dictavit, ubi videat diligens lector, quantae stabilitatis ista Domina erat pro regula contra patres pusilanimos, qui timore fluctuare videbantur.

*Epistola prima missa fratribus congregatis ad indulgentiam Portiunculae.*

A venerabilibus patribus et fratribus ac filiis fratribus ad sanctam indulgentiam S. Mariae de Portiuncula venientibus, in quo loco concionis Pater noster Beatus P. Franciscus ordinem incepit, et vitam finivit, et benedixit fratribus, tann praesentibus, quam futuris, et commendavit eos Virgini gloriosae.

Ego Sancia per gratiam Dei Siliciae et Ierusalem Régina humilis filia, et Serva Sancti Francisci salutem in Iesu Christo <sup>[14]</sup> crucifixo. Noveritis fratres, quod ad hoc fecit Christus me nasci in hunc mundum de tali progenie, et parente, sicut fuit Esclarunda Régina Maioritarum sanctae memoriae, et filia vera Beati Francisci Domina Mater nostra, et fecit, quod frater meus primogenitus pro amore Iesu Christi renunciavit mundo et fecit filium Beati Francisci, et eius ordinem intravit, scilicet frater Iacobus de Maioritis charissimus frater meus, et fecit me esse de generatione Beatae Elisabeth, quae fuit ita devota et vera filia B. Francisci, et mater ordinis sui, et quae fuit soror germana Dominac Matris Patris mei

Domini Iacobi Regis Maioritarum bonae memoriae, et dedit hunc mili pro viro Illustrissimum Dominum meum Dominum Rupertum Siciliae et Ierusalem Regem, qui fuit filius Dominae meae Reginae in dictis regnis Siciliae et Hungariae bonae memoriae, et fuit vera filia B. Francisci, et habuit pro Filio B. Ludovicum, qui recusavit regnum pro amore Iesu Christi, et fecit se fratrem minorem, et credo firmiter, quod Deus et B. Franciscus ordinaverunt, quod Dominus meus, qui erat frater tertius, mihi fuit Rex, et huius omnes virtutes, quibus Deus sapientiam plus quam sciatur a tempore Salomonis de aliquo principe mundi addidit, et scientiam istam didicit a fratribus minoris ordinis, et ad hoc ut defenderet ordinem S. Francisci, et ego cum eo. Ista ego narravi ad hoc, ut videatis, quantum ego teneor et debeo esse serva tanti patris et ordinis sui. Si considero exemplum de his, qui praecesserunt de genere et de generatione Domini mei, possum accipere istud verbum in terra, quod Dominus noster Iesus Christus dixit discipulis suis: Iam non dicam vos servos, sed filios, quod idem verbum in persona mea possum dicere toti ordini, sicut mater vestra dixit.

*Secunda Epistola missa fratribus in capitulum.*

Reverendis fratribus, et filiis fratribus minoribus in capitulo congregatis Sancia dei Gratia Reginae Siciliae et Ierusalem, humilis filia, atque devota vestra, salutem in Domino Iesu Christo. Seitis quomodo ecclestis Pater noster beatus Franciscus fundavit regulam suam super Sancto Evangelio, et vos scitis votum vestrum, quale est. Scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate, et scitis, quae sint mandata et monitiones regulae vestrae: ego rogo vos, et humiliter admoneo per Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum, qui dignatus est suo pretioso stigmate servum suum B. Franciscum insignire, de quo legitur in epistola ad Galatas: Fratres! mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo mihi mundus crucifixus est, et ego mundo et

postea subiungit: Et quieunque hanc regulam secenti fuerint, pax super illos et misericordia, et super Israel Dei; de cetero nemo mihi molestus sit, quare et vos sequimini vestigia Patris vestri, et non dubitetis, quia talis regula fundata super tali fundamento, scilicet Evangelio sancto, et signata talibus sigillis, scilicet plagis Domini nostri Iesu Christi impressis in persona dieti patris coelestis, quam nullus potuit, nec potest frangere, et Domina nostra, (id est virgo gloria,) in cuius ecclesia ipse coelestis Pater, scilicet de angelis, ordinem incipit et consummavit, et in morte sua specialiter commendavit, defendet et gubernabit, vos, nisi esset culpa vestra, qua deviatis (quod absit) de via Patris, et recordamini verbi, quod dixerat |<sup>16</sup> ipse Pater noster in obitu suo: Valete filii omnes, et in timore Dei manete, et in eo semper sperate, quoniam tribulatio appropinguat, et felices, qui perseverabunt. Sic nulla tribulatio praeterita, nec praesens, nec futura vos terreat, recordantes verbi apostoli ad Romanos dicentis: Quis nos separabit a charitate Christi: tribulatio? angustia? an fames? an persecutio? an nuditas: an periculum? an gladius, sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occasionis, certe enim scio, quod neque mors etc. Ego spero in Domino nostro Iesu Christo, qui dedit gratiam apostolo suo, quod dabit et vobis, et mihi, et illis, qui intendunt sequi vestigia Patris, illam charitatem et fortitudinem contentam in verbis praemissis, nisi (quod absit) impedit culpa vestra, vel mea, et ego, sicut filia vestra devota, offero me, et res meas, et corpus meum exponere morti, quando necesse esset ad defensionem vestrae regulae, quae fuit in persona coelestis Patris praedicta, insignita stigmatibus Domini nostri Iesu Christi. Monemus etiam vos, ut recordemini nostri, quod in electione fratrum, Generalis Ministri Deum habeatis prae oculis, et nullus fautor, nec preces, nulla affectio singularis vos seducat in ipsa electione, sed talem eligatis, qui sit paratus sequi Patris nostri vestigia, et dicta apostoli, ut superiorius dictum est. Recomendo vobis Dom. maritum meum Regem Siciliae et Ierusalem patrem et fratrem vestrum, et omnes de domo sua et charissi-

mum filium meum Ducem Calabriae bonaे memoriae, et de domo regia omnes defunctos, et mea devotam filiam vestram |<sup>17</sup> et de domo nostra Maioritarum tam vivos, quam defunctos, et omnes illos, quos commendo. Scripta Neapoli manu propria et dictata sine alicuius ministerio, nisi tantum divino propter vestra merita: XV. maii, indictione XII.

*Epistola tertia Generali Ministro tunc electo missa.*

Reverendo in Christo Patri fratri Gerardo Oddonis Generali Ministro ordinis minorum dignissimo, Sancia Regina Siciliae et Ierusalem, humilis ac devota filia vestra, licet indigna, et totius ordinis B. Francisci Salutem in Domino Iesu Christo. Ego rogo et moneo paternitatem vestram, quod non devietis a vestigiis tanti patris, qui est vexillarius Christi, coelestis Pater noster B. Franciscus. Audivi quod aliqui fratres dicunt, quod regula, quae fuit a Deo revelata bis sancto fratri, et bullata cum illis quinque sigillis, quae sunt pretiosae plagae Christi insignita, non potest servari. Recordentur fratres verbi, quod respondit venerabilis Pater Dominus Ioannes de Sancto Paulo, Episcopus Sabiensis, ac Vicarius Christi Dominus Innocentius tertius sanctae memoriae quam confirmavit regulam, nam si quis intra evangelium regulae observantiam et votum ipsius dicat contineri aliquod nocivum, vel irrationabile, vel impossibile ad observandum, ipsum evangelii auctorem blasphemare convincitur, nullo modo credatis eis, quia ipsi non sunt filii Patris, nisi solo nomine, et si ipsi voluerint aliquid immutare (quod absit), solum unum iota non sustineatis, quod si in hoc eisdem obtemperaveritis, non pastor sed mercenarius eritis. Fortiter ergo vos pro talibus |<sup>18</sup> geratis: sciatis pro certo et non dubitetis, quod Deus et beata virgo Maria gubernat, et defendet vos, qui vultis esse veri filii Patris, et recordamini de verbis, quae Dominus Iesus Christus dixit Patri nostro: Ego inquit vocavi vos, servabo et pascam, et aliis recedentibus alios excitabo, ita ut si nati non fuerint, faciam illos nasci, et quantiscunque impulsibus haec paupercula concussa fuerit religio, salva semper meo nomine perma-

nebit. Ego enim offero me cum toto posse meo ad gubernandum vos , qui vestigia Patris coelestis nostri usque ad mortem carnis voluerint sequi , et haberem gratum , si Deus faceret me mori pro ista causa : tunc essem martyr . Ista benedictio veniat super me , et super vos , ac omnes illos qui sunt et erunt de ista sanctissima voluntate , quam dedit Pater in Capitulo Arelatensi , quando B. Pater Antonius praedicabat de titulo crucis . Ac illa gratia , quae in die Pentecostes venit super apostolos ; et non placeat avertere , propter peccata nostra , quia scriptum est in evangelio , et in regula vestra : Nemo mittens manum ad aratum , et aspiciens retro aptus est Regno Dei : cum sim peccatrix , et insufficiens , et loqui litteraliter nesciam nisi ex gratia et consuetudine , et nihil confidam in me , die enim Iovis XVIII. Aprilis intra capellam parvam iuxta cameram meam in Castro novo in Neapoli , porta clausa , ante diem , accensis candelis sola cum corpore Christi , quod erat super altare , cui me recommendavi , et postea in <sup>19</sup> cepi scribere , Dominus ministravit mihi , sine aliquo humano ministerio , ad introscripta manu propria , licet non sum digna ex me , tamen per gratiam Dei multipliciter possum dicere verba haec : Magister sum Ordinis B. Francisci , quae non solum verbo aut scripto , sed ex operibus , quae feci continue , et intendo facere cum eius adiutorio omni tempore vitae meae , quamvis nihil sentiam habere ex me nisi peccatum , tamen possum accipere verbum apostoli , quod id , quod sum , ex gratia Dei sum ; et postea in evangelio : non dicam vos servos , quia servus nescit quid faciat Dominus eius , quia nota feci vobis omnia , quae audivi a Patre meo . Et ego sicut mater possum dicere vobis et toti ordini : Non dico vos servos sed filios meos , quasi essetis geniti ex proprio corpore , et tanto magis , quanto maior est amor spiritualis quam carnis . Datum in Casasana prope Castrum maris de Sabia sub annulo nostro secreto , die XXV. Iulii indictione XV.

*Anno Domini M.CCC.XXXII.*

Idem Generalis ad requisitionem Domini Zakariae Episcopi S. Thaddaei in Armenia misit multos fratres de Provincia

Aquitaniae et de aliis partibus ordinis ad convertendum subditos Armenos maioris Armeniae , et alios infideles ; tenebant enim et ipsae Sanctae Romanae Ecclesiae unitatem, de quibus frater Rogerius Guarini dictae Provinciae ad sanctam terram pergens , obtinuit a Soldano Aegypti locum sanctum montis , ubi fuit illud coenaculum magnum stratum , in quo Dominus coenam cum discipulis manducavit , et <sup>[20]</sup> ubi Spiritus Sanctus super apostolos in die Pentecostes in linguis igneis descendit , in quo loco conventum fratrum aedificavit , et extunc sancto sepulchro fratres nostri habitare ceperunt usque in hodiernum diem. Alii pergentes in Armeniam multos baptizaverunt , et ad unitatem Sanctae Romanae Ecclesiae adduxerunt , inter quos fuit devotus et multum literatus Frater Valentinus Samati , qui perfecte in eorum lingua instructus , praedicando , baptizando , et aliquos libros de latino in armenicum transferendo , magnos fecit ibi fructus. Inter quos fratres transmissus fuit Frater Generalis Alnardi aquitanicus de custodia Auxitanæ , qui remanens Constantinopoli , et adhaerens Imperatori Graecorum , ipsum induxit et convertit ad veram fidem , et Ecclesiae unitatem. Qui Imperator eundem Fratrem Generalem misit ad Dominum Ioannem Papam supplicando , ut sibi doctores catholicos mitteret ad suum populum convertendum , et per Dominum Papam fuit ad hoc electus Frater Gerardus Oddonis , Minister minorum Generalis praefatus Circa idem tempus Philippus Rex Franciae , qui crucem recuperandi terram sanctam acceperat , volens sibi confoederare Regem Parisii et Regem Caphellini , sive Giorgianorum , scribens eis , misit literas Quardiano Maurisii , et quibusdam solemnibus mercatoribus Christianis , quibus fuit visum , ne praesentarentur dicto Imperatori , quia erat confoederatus Soldano , sed alias miserunt per fratrem Alexandrum Angelicum , et alias ad Regem Caphellini praedictum , <sup>[21]</sup> qui fratres literas illas ponentes super capita sua , cum honore Rex eos recipiendo dixit : Domini Reges Franciae frequenter Reges orientales ad Hungariam miserant , ad commovendum eos similiter , et propterea non venientes eos in tribulatione dimiserunt , sed dicatis sibi : quum mare ipse transiret , sta-

tim me videbit ad suum beneplacitum cum triginta millibus  
armatorum.

*Anno Domini 13XXXIII.*

Fuit Assisii generale capitulum celebratum, in quo certis rationibus allegatis supradictae novitates et ceremoniae capituli Perpeniani fuerunt revocatae, et fratrum receptio ad ordinem et professionem fuit ad antiquam formam reducta. Eodem anno, die 4-a mensis Decembris Dominus oannes Papa XXI I. moritur, pontificatus sui anno XIX. Eodem anno, die XX. dieti mensis in Avinione creatur Papa Dominus Jacobus tituli sanctae Priscae Presbyter Cardinalis, Magister in Theologia, de ordine Cisterciensium monachorum, et Benedictus XII. est vocatus, qui pontificatus sui anno primo dedit fidelibus indulgentiam omnium peccatorum. Cum vero dictus Generalis se disponeret transeundum Graeciam, ad quam erat factus Legatus per D. Ioannem Papam, et iam esset paratum navigium, Dominus Papa Benedictus legationem illam (nescitur quare) revocavit.

|<sup>22</sup> *Anni Domini 13XXXVII. fuit in Loco*

Carceris capitulum generale celebratum, in quo dictae constitutiones papales publicatae, et ultra fuit facta nova compilatio generalium statutorum, et in eodem capitulo multi ministri variis accusationibus propositis contra Generalem insurgunt, ipsumque ab officio absolvi postulant, sed post multas accusations et excusationes idem Generalis fuit in officio confirmatus. In eodem autem capitulo fuit constitutum, ut fieret festum de saeris stigmatibus B. Francisci per ordinem universum. Item iste Generalis acceperat hunc Locum Carceris B. Francisci in monte sub Assisio, ubi idem S. Pater cum sociis suis sanctam vitam et solitariam ducens frequenter morabatur, iectis inde fraticellis et ibidem fratres in poenitentia rigidos et vita austeros ad morandum collocavit, quos postea Observantes vocare ceperunt.

*Incipit Vicaria Minorum Observantium de Bozna.  
Anno igitur 13XXXIX.*

fuit Assisii capitulum generale celebratum, et post idem capitulum, dum idem generalis ad Provinciam Hungariae pergeret per Selavoniam, transivit per Boznam, quam videns quasi totam haereticis populatam, zelo fidei succensus ad Dominum Banum, eiusdem Bozniae Principem accessit, et ipsum |<sup>23</sup> ad fidem convertit, et ad Ecclesiac Romanae unitatem reduxit. Deinde multos fratres illuc ad praedicandum haereticis de diversis partibus ordinis destinavit, qui ibidem multos ad fidem Christi converterunt, et Ecclesias crexerunt, et diversis ibi captis locis facta est una et prima familiae minorum Vicaria, quae hodie Boznensis appellatur, cuius bona fama crevit in tantum, ut postea, scilicet tempore Ludovici Regis Hungariae, devoti domini Hungari ciudem familiae fratribus, propter eorum sinceram paupertatem et vitam omnibus admirabilem, laudabilemque, et multis divinis miraculis corruscantem, in Hungaria plurima construxerunt, quorum primus locus in Cheri erat constructus, unde et familia minorum observantiae de Hungaria Cheriensis usque modo nuncupatur, sicut haec patebunt infra in gestis Fratris Francisci de Florentia Vicarii sexti de Bozna, quando videlicet Dominus Ludovicus Rex Hungariorum, fratres observantiae Minorum a Domino Papa postulavit et impetravit, ac in Hungariam et eius confinia introduxit. Et hoc est contra illos, qui dicunt, quod Rex praedictus fratres conventuales in Pannoniam primo importasset, cum ante Regem praedictum forte centum annis fratres conventuales in Hungaria habitarunt, sicut hoc clarius patebit infra in loco praeallegato. Quando ergo Frater Gerardus praedictus minister generalis ad visitandum fratres suos scilicet conventuales in Hungariam veniebat |<sup>24</sup>, quia tunc observantia Minorum in toto mundo non inveniebatur, scribebant autem tunc anno Domini 1339. et eodem anno idem Generalis, ut praedixi, transeundo ad Hungariam primam Vicariam observantiae Minorum in Regno Boznae instituit, e socium sui itineris Fratrem Peregrinum primum Vicarium praec-

fecit, qui positus in Diako requiescit. Omnes autem fratres observantes Dominus Ludovicus Rex Hungarorum a summo Pontifice impetravit: scribebattunc in anno Domini ICCCLXVI. sicut hoc patet in Cronica Generalium, praeципue Fratris Marci de Provincia Bononiae Ministri Generalis, nam conventuales dicunt, quod tunc Ludovicus Rex, quando sub vexillo albo fratres conventuales ad Hungariam importavit, tunc ipsi fratres solum erant octo, quos Lippa in Ecclesia S. Ludovici religiose collocavit; sed non intelligunt ordinem historiae, igitur faciliter ignorantes seducunt de Bozna.

*Vicarius primus observantiae Minorum.*

Primus Vicarius in observantia Boznae Frater Peregrinus de Saxonia a Fratre Gerardo XVIII. Ministro Generali post Beatum Franciscum institutus, qui Boznam personaliter intravit, tempore Stephani Bani, patris Reginae Hungariae, et ibi observantiam Minorum incepit, et dictum Fratrem Peregrynū socium suum Vicarium fecit anno Domini 13XXXIX. 5-to die 8-bris, et rexit familiam decem annis, et fuit Episcopus Boznae (ut dicunt), et depositus quiescit in Diako in Ecclesia Minorum observantiae. Secundus Vicarius <sup>[25]</sup> Frater Martinus de Asti institutus a Gulielmo Anno Domini 13XLIX. octavo die aprilis. Tertius Vicarius Frater Franciscus de Florentia institutus a praedicto Gulielmo Anno Domini 13LX. die Maii. Quartus Vicarius Frater Lucas de Hungaria institutus a praedicto Gulielmo Anno Domini 13LXI. institutus a Fratre Marco. Quintus Vicarius Frater Zoltaldus de Florentia secundario institutus a praedicto Marco Generali Ministro Anno Domini 1.3.CCC. LXIII., et rexit Vicariam per duas revolutiones. Sextus Vicarius Frater Franciscus de Florentia praedictus. Istius autem tempore, videlicet Anno Domini 13.LXVI. invictissimus et devotissimus Dominus Ludovicus Rex Hungarorum, Bulgariam et alia Regna in confinibus Hungariae expugnando, suae subiecit potestati, et tunc misit Epistolam Romano Pontifici, unacum Vicario Boznae praedicto, ut ad Bulgariam et ad alia regna in confinibus Hungariae eidem

Regi subiecta fratres mitteret in multa copia, in qua Epistola narrabat, quod Vicarius praedictus octo fratres misisset, ut interschismaticos et haereticos verba vitae praedicando seminarent, et qui ex ipsis converterentur, baptizarent, in quorum praedicationem Dominus Iesus, sicut in primitiva Ecclesia habundaneius gratiam suae immensae pietatis effundit, ita quod ipsi octo fratres ad baptizandos schismaticos et alias haereticos in partibus illis non sufficerent.

|<sup>26</sup> *Epistola summi Pontificis ad Capitulum Generale.*

Tunc summus Pontifex admodum gavisus, Fratri Marco Generali misit hanc Epistolam : Charissime Minister ! Hesterno dic ab Inclyto Rege Hungariae et a Vicario Boznae quasdam literas omni spiritu iocunditate plenissimas laetus accepi. Grandis prorsus meditationis exardescere debet ignis, et succensu fervoris prodire favillae, et admirato quaedam patent, et valida de conversione infidelium populorum. Illis siquidem literis intimatum est mihi quod recenter per suos fratres Ordinis Minorum Vicariae Boznae tam magna et mirabilia Dominus operatur, ut quamvis multi sint numero, nullo modo tamen sufficiant currentes ad sacrae regenerationis lavaerum baptizare, et ministrare omnibus sacramenta divina. Unde pluribus intimare cupivi, quoniam ad petitionem christianissimi et devotissimi Regis Hungariae Vicarius meus Boznensis, ad patriam, quae Regno praedicto et Vicario est contigua, octo fratres vestri ordinis sibi subditos destinavit, qui infra quinquaginta dies, vel citra ducenta millia hominum baptizaverunt, et ne forte de numero scrupulus oriatur, ex iussu Regis omnes baptizati in scripturam sunt |<sup>27</sup> publicani redacti, illius tamen regionis needum tertiam partem converterunt, sperant tamen firmissime aperire eis ostium fidei, Domino Iesu Christo, quidquid residuum fuerit, in caulem congregante. Currunt cum suis gentibus, precibus infideles ; iuvenes et virgines, senes cum iunioribus turmatim confluunt ad baptizma, haeretici simul et schismatici ad unitatem fidei Orthodoxae et veritatem Sanctae Romanae Ecclesiae conver-

tuntur, ipsorum etiam sacerdotes et calugeri sub iugo fidei efficiuntur humiles; qui in sua haeresi nimis antea fuerunt pertinaces, aedificare voluerunt loca vestrae religioni quam plurima, ut fructus unitatis fidei perseverent. Igitur laetentur coeli, et exultet terra, et omnis lingua Deum glorificeat, terra siquidem mota est, et coeli distillaverunt a facie Dei Sinai, pluentes his diebus solito habundantius pluviam bonam, quam segregavit Deus haereditati suae, haereditati utique fratrum minorum, ut non reperitur vacua in eis lux Christi, sed eorum manus repleantur multitudine gentium conversarum. Unum est tamen, quod speciali huic gaudio doloris aculeum intermiscat: messis quidem adest, operarii pauci: ecce regiones iam albae <sup>[28]</sup> sunt ad messem, sed non sunt sufficietes, qui metant, et fructum in vitam aeternam valeant congregare. Propterea miliu intimatum cum fletibus, quod nisi numerus fratrum augeatur, messis fidei negligitur, atque perditur tota illa Bulgaria populosa, quam Rex ille invictissimus Dominus Ludovicus Hungarorum obtinuit, et praecipua civitas Bodoni famosa nimis et magna, et nisi fratres ibi in numero copiosiori destinantur, Patareni et Manichaei sunt amplius solito dispositi baptizari, ad Christum verum lumen converti volentes, si non deficient, qui viam huius luminis demonstrent. Piissimus Rex praeftatus cernens de multis nationibus atque regnis multos in eodem sancto proposito, admiratione repletur, et gaudio, devote praestolans, ut de ipsis partibus Partium diversarum usque ad duo millia fratres transmittantur, quos ipse valde religiose disponit collocare; adeoque zelo fidei catholicae et conversionis infidelium fidelissimus Rex effervuit ut vellet se ipsum totum dare. Pergant igitur viri religiosi, imitatores Filii Dei, et fideles filii B. Francisci, et ad laborem messis viriliter se accingant, et cum exultatione metant, et in labores seminantium fideliter introeant, ut, et qui seminent, et qui metent, pro granis purissimis in horreo Domini aggregatis panem suavissimum in Regno Dei et mensa <sup>[29]</sup> Christi gloriose manducent. Tu vero Minister, omnibus Fratribus convenientibus ad sacram indulgentiam Portiunculae Literas has distincte, intelligibiliter legi

facias, seu legas, eosque quantum vales ferventer et efficaciter exhorteris, et constanter inducas ad capiendum fructum tantae salutis, ad omnem promtitudinem se disponant, eisque ex parte mea denuncies, ut si qui spiritu Dei tacti illuc proficiisci volunt, ad meam praesentiam debeant alacriter et secure venire, ut obedientia et benedictione percepta et suum iactando in Domino cogitatum, inspirationem divinam libere et securius exequantur. —

Peractis igitur praedictis per Generalem Ministrum, videlicet fratrem Marcum, secundum mandatum Domini Papae, multi fratres ex zelo fidei et aliorum salute succensi, ad summum Pontificem veniebant. Idemque adepta benedictione cum humili obedientia ad praesentiam Regis devotissimi Hungarorum et Patris Vicarii de Bozna veniebant cum gaudio, quibus secundum paupertatem, sicut ipsi volebant, cum gaudio plurima loca in confinibus Hungari construxerunt, videlicet: Orsova, Hatchak, Kwnium, Alsán vel Luko, Harako, et in Hungaria Cheri et Sebes, Yenw, de quo scilicet Chery eisdem simplex populus, ad aliorum fratrum, praeципue conventionalium differentiam, nomen invenit, nec ipsos usque nunc <sup>130</sup> Cherienses nominare desinit. Ecce Minorum Observantiae de Hungaria vera obedientia in corum exordio: taceant ergo illi, et ora obturentur eorum, qui dicunt, quod quidam fratres contra suorum praelatorum voluntatem Locum de Chery ex proprio capite aedificassent, et inde Minores Observantiae de Hungaria Cherienses nominarentur. Stephanus Vicarius Frater Bartholomeus de Alverna Anno Domini MCCCLXVIII. Ab eodein anno frater Marko institutus, qui tum cardinalis erat, et vicarius Ministri, quoadusque minister ordinis eligitur, et rexit ordinem ad annum Domini 1380. quae faciunt triginta duos annos. Huius temporibus fuit magna infelicitas in confinibus Hungariae, quia devotissimus Dominus Rex Ludovicus postea defunctus est; omnia regna, quae ipse Rex penitus debellaverat, contra Pannoniam insurgentia, ex omni parte eam bellare ceperunt, tunc etiam quinque fratres minores de Vicaria Boznae in Bulgaria Bodon martyrisati sunt per hunc modum.

*Passio quinque Fratrum de Observantia in civitate  
Bodon.*

Eodem anno in Bulgaria, civitate Bodon, passi sunt pro defensione verae fidei quinque fratres perfectissimi, videlicet Antonius de Saxonie, homo igniti cloquii et magnae contemplationis, et raptus; Frater Georgius de Tragurio interpres et sacerdos solemnis, humilitatis <sup>[31]</sup> profundissimae, et magnus zelator fidei orthodoxae; Frater Nicolaus sacerdos Hungarus, qui per XVI annos non comedit nisi semel in die post vespertas, panem tantum et aquam, portando semper ad carnem circulos ferreos et loricam; Frater Thomas de Fulgineo laicus, devotionis vir maximus, et poenitentiae rigidiosae. Cum christianissimus Rex Hungariae D. Ludovicus Portam Ferream transiens, supradictam Bodoni civitatem cepisset, quac sita est in ripa Danubii fluminis, et per fratres nostros, ut aperte dictum est superius, quam plurimi fuissent baptizati et uniti Ecclesiae Orthodoxae; processu temporis eadem civitas per Regem Bozoras schismaticum, consentientibus eidem nonnullis civibus, proditorie fuit capta; dictus enim Rex regione Civitatis Bodon ultra Danubium potiebatur. Morabantur tunc in dicta civitate Bodon decem fratres Minores perfectissimi, quotidie contra sacerdotes et calugeros, hoc est religiosos haereticos, disputando. In ipsa igitur captione quinque ex iisdem decem fratribus cum multis Christianis ad duo fortalia dicti Regis Hungariae pro tuitione suorum corporum configuerunt, supradictos tamen quinque fratres inimici fidei in quadam ecclesia invenerunt orantes, et in ipsis furioso impetu (irruentes) unum ex eis in fenestra divisum <sup>[32]</sup> crudeliter peremerunt, alios autem quatuor ligatis manibus ipsi Regi Bozorad praesentaverunt, quos cernentes supradicti calugeri, fidei catholicae inimici, gaudentes, et eis insultantes dixerunt: nunc est hora disputandi de fide, nunc audemus vobis respondere. Sancti vero Minores spiritus sancti initiatione, qua ipsi, ut ita dicam, quasi vinculis ligati audacieores effecti, fidem catholicam viriliter defendebant, et viribus totis eorum errorem cum audacia ma-

xima condemnabant; audientes autem illos, quasi insanos aestimantes, de tanta constantia et vitaq[ue] praeuersis contemptu mirando nihilominus furore torquebantur. Cum igitur fratres sancti nollent fidem negare, inimici fidei, ut occiderentur, a Rege Bozorad, petierunt, Rex vero de spoliis et captione civitatis magis sollicitus erat, ab eis faciem avertit, penitus nil respondit: illi nominati diaboli ministri statim sanctos minores extra civitatem ad rippam Danubii fluminis adduxerunt, cum cognovissent eos a soliditate fidei non posse amoveri, eis capita amputaverunt, et sic cum palma martyrii Deo animas suas reddiderunt, et post descendit super eorum corpora lux copiosa de coelis et auditae fuerunt melodiosae quasi resonantium puerorum, postea<sup>[33]</sup> excrevit Danubius fluvius, et dictorum quatuor fratrum corpora tulit ex terra, et post haec visa sunt ibi quatuor sepulchra in profundo Danubii fluii, alias turbido supra sepulchra non sine admiratione omnium, qui aderant et videbant. Multis autem signis mirificavit Dominus sanctos suos, cum quo regnabunt in aeternum et ultra.

---

#### PROSECVTIO HISTORIAE.

Post mortem Ludovici, etiamtunc multi fratres Itali, qui de mandato Generalis Ministri Fratris Marci accepta benedictione a summo Pontifice in Pannoniam, et eius confinia regna venerant, propter meritum laboris inter infideles et schismaticos, et propter regularem observantiam — nam tunc sola vicaria Boznae sic Observantia minorum nominabatur — ad Italiam patriam eorum redierunt, de quibus quidam devotissimus frater, qui XXX. annis in Vicaria Boznae laboraverat, omni virtute clarus, et sanctitate fulgens, cum senex esset, ad suam patriam Senensem remeavit, qui vita et sanctimonia clarus totam suam Senarum civitatem decorabat, ita, ut eius audita fama, multi ad eum iuvenes devoti veniebant, humiliter et supplicanter, ut eos ad ordinem reciperet, de quibus<sup>[34]</sup> quidam devotissimus iuvenis scientia praeclarus, et forma decorus, nobili genere, sed nobilior virtute, nunc gloriosus in coelis, Bernardinus de Senis, similiter hunc senem venerabi-

lem precibus exoravit, ut eum in ordinem reciperet, et Seraphici Francisci militiae adscriberet, quem senex dictus accepit, quia multa et praeclara de Bernardino audierat. Aspiciens ergo hunc tyronem aetate iuvenem, corpore validum, aspectu gratum, scientia clarum, quodve super omnia pretiosum, integra fide, et ardenti fervore constantem, in die nativitatis Mariae magno cum gudio et expectatione ad ordinem recipit, et quid ipse sanctus Bernardinus gesserit, habetur in eius legenda, ad cuius exemplum multi alii iuvenes ab eodem venerabili sene ad ordinem fuerunt recepti. Tunc etiam quidam iuvenis, iam et ipse beatus in coelis, sicut multa miracula testantur, Ioannes de Capistrano ordinem praedictum intravit, qui postea pro magna parte mundi inquisitor haereticae pravitatis, et fidei catholicae defensor maximus. Sicut haec habentur in eius vita, ubi quiescit in Uylak.

*Octauus Vicarius* Pater Petrus de Sena, institutus a fratre Antonio de Paretho Anno Domini ICCCCVIII.  
<sup>[35]</sup> qui anno Domini M.CCCCXI. fuit depositus in Diako, in festo B. Marcii Evangelistae, et ibidem fuit electus Vicarius frater Ambrosius de Senys, post cuius electionem facta fuit in vicaria magna briga et divisio, nec fuit meritus confirmari, sed confusibiliter delici et vicariam exire. Sed unde fuit ista briga, de Cronica Generalium non invenio, quoniam gesta ministrorum non habeo praeter quinquaginta quatuor, quorum iam Cronicas excessi, sed secundum meam existimationem, sicut in quadam bulla Martini Papae invenio, quod Frater Blasius de Zalka, undecimus Vicarius Boznac Familiae, capitulo eiusdem Boznac presentaverat, cuius copiam idem capitulum vicario praedicto et fratribus suis pro defensione contra Ministrum Generalem tradidit, quoniam ipse Minister Generalis Vicariam Boznac sibi subiugare volebat. Hoc idem patet ex gestis sanctorum Bernardini de Senys, et Ioannis de Capistrania; eo namque tempore quidam zelatores ordinis praedicti regularis observantiae informati et asucti secundum regulam viventes, superflua abiente, sanctum Franciscum imitantes, insolentes et contra paupertatem viventes redarguendo, praecipue et <sup>[36]</sup> ipsum Ministrum Gene-

ralem, quare ipse Minister voluit ipsum nomen vicariatus in nomen Ministri Provincialis mutare, et forte in hac sua voluntate ipse frater Ambrosius de Senys praedictus condenserat, ideo confusibiliter fuit deiectus, et vicariam propter hanc perversam voluntatem exire compulsus tanquam indignus.

*Nonus Vicarius* Frater Henricus de Polonia, ab eodem fratre Antonio de Paretho Ministro Generali institutus Anno Domini MCCCCXI., et donec ad eum venisset litera confirmationis, mortuus fuit.

*Decimus Vicarius* Frater Mathias de Anglia, ab eodem fratre Antonio Ministro institutus.

*Undecimus Vicarius* Frater Blasius de Hungaria, sive de Zalka, Anno Domini 1420. in festo annunciationis Virginis Gloriosae a fratribus Vicariis in Diako electus, et tandem per dictum fratrem Antonium de Paretho Ministrum Generalem confirmatus, qui constitutiones papales generales, ac Boznae observantiales, quas secum portabat, loco Ozorae, tunc noviter per Dominum Piponem Comitem de Tömösvár fundato, resignavit; iste enim frater Blasius multum laboravit pro sancta observantia contra Ministrum Generalem, qui bullam Papae Martini<sup>37</sup> Quinti capitulo Boznensi praesentavit, et eius transumptum accepit, quae habetur in loco Minorum de Kwsaly. (Tunc) enim emicuere duo lumina non solum ordinis, sed et totius ordinis, videlicet Fratres Bernardinus de Senys et Ioannes de Capistrania, qui pro sancta observantia plurima pati parati, ac tanto fervoris zelo accensi, contra ipsum Generalem ad summum Pontificem appellaverunt, ubi dum Sanctus Bernardinus mellifluo sermone et voce columbina, ut decet sanctum, actiones suas pro sancta familia in curia coram summo Pontifice proposuisset, et dum sibi Minister Generalis, sicut causidicorum modus est, per phas et nephas sanctam observantiam annihilare desiderans per multa verba declarando resisteret, tunc veritatis doctor Frater Ioannes de Capistrania, publica voce coram summo Pontifice et adstantibus dixit: Pater Generalis! habitus tuus probat novitiatus tui mores, et forte nec annum praeteristi, ergo

iam ordinis perfectionem inflexisti. Et sic dicta factis demonstravit.

*Incipit Vicarius Generalis.*

Talibus ergo visis summus Pontifex de consilio suorum fratrum authoritate apostolorum Petri et Pauli <sup>138</sup> concessit, et confirmavit, ut secundum Regulam Sancti Francisci fratres minores regularis observantiae professores in Italia habeant Vicarium Generalem, cui Vicariatus Boznac et aliae observantiae vicariatus subiiciantur tempore perpetuo, et sic Anno Domini MCCCCXXXIII. primus *Vicarius Generalis* eligitur Frater Bernardinus de Senys, iam gloriosus in coelis.

*Duodecimus Vicarius* Frater Ioannes de Korsula, confirmatus per Reverendum Patrem Gulielmum Ministrum Generalem, qui tandem fuit electus in Episcopum Varadiensem. Iste enim Episcopus in spiritu apparens, — si ita est sicut Farkas eiusdem Ecclesiae episcopi narrant (sic) — circa annum Domini M.CCCC. nonagesimum septimum vel octavum, quando ipse praedictus Farkas Episcopus Varadiensis in suo cubili in lecto post Epistolas quiesceret, venit quidam vir ignotus, habitu minorum indutus, et corda succinctus, ac insula episcopali ornatus, ipsum Varadiensem episcopum praedictum Farkas flagellis cesum et verberatum reliquit in lecto. Qui tunc morte praeventus in eadem infirmitate defunctus finivit dies suos.

*Tertius decimus Vicarius* frater Iacobus de Marchia missus ab eodem fratre Gvilemo Ministro Generali, qui vicariatum visitavit, et utriusque sexus homines poenitentiales tertii <sup>139</sup> ordinis in Papa constituit, et tandem factus Vicarius et confirmatus a Domino Papa, habuit inquirere haereticos, in qua inquisitione vicariatum resignavit. Veniens autem ad Kamaneze, in utraque parte Danubii subiacentes urbes et villas, ubi multos haereticos Hussitas nomine convertit, et effodere fecit, et comburi, ubi etiam magister Blasius, magister capellae in praedicta Kamaneze propterea fugam dedit; veniens autem Bachiam, ubi et praepositus maior erat, vitam revo- cando, finivit dies suos in bono laudabiliter. Iste idem frater

Iacobus per plebanum de Szent Márton effodi fecit defunctum, et comburi, versus eadem Kamancze, et multos similiter. Item P. plebanum de Bulchen contra Futak, et alios ibidem defunctos similiter. Ita enim haec haeresis Hussitarum (ut dicunt) venerat in Pannoniam. Quandiu magister Blasius praedictus puer docilis erat, tunc cives de Kamancze eidem subvenientes, miserunt cum ad studium, promittentes eidem ut plebaniam de Kamancze, si merebitur, eidem condonarent. Tunc ipse puer ex desiderio studii transiens Bohemiam, intravit civitatem Hussitarum, Magnam Pragam, ibique humana sapientia imbutus, et Diabolica Hussitarum videlicet haeresis pravitate infectus, tandem cum quibusdam suis ad Pannoniam tempore competenti regressus <sup>[40]</sup> in suam patriam, scilicet Kamancze, ibique illa Hussitarum haeresis, sicut idem Magister Blasius incusando se inquisitori praedicto dixerat, non ab ipso, sed a suis in illa patria disseminata fuerit, et sic ipse dies suos, ut praedictum est, finivit laudabiliter. Tunc etiam duo literati de eadem Kamancze, videlicet *Thomas* et *Valentinus*, cum quibusdam hominibus insanis et mulierculis consilio inito, nocte recedentes ad Regnum Moldvae intraverunt, ubi *iidem duo clerici haeresim praedictam seminantes, utriusque testamenti scripta in Hungaricum idioma transtulerunt*. Quot ergo et quanta in eis apparet haeresis, sicut et ego legi, nemo hominum numerare possit, ex quo fuerunt simplices literati, iuxta proverbium vulgare: *simplex Theologus purus haereticus est, nam istam dictionem: spiritus sanctus exposuerunt sic: zent zelleth*. Et dum praedicta ibi sic seminas-  
sent, tunc idem clerici iterum consilio inito (ut Christi disci-  
puli, quod absit) unus eorum, videlicet Thomas, apud eundem populum per eosdem ad haeresim conversum pro informatione remansit, videlicet alter, Valentinus, Turciam intravit, ut dum literas ibi didicerit eorum, tunc socium suum post se vocaret, et cum ibidem labori se dedisset, ita, ut eius fama usque ad Imperatorem Turcarum venisset, tunc mandavit idem Imperator ex consiliariorum suorum decreto, ne tale quid <sup>[41]</sup> in detrimentum legis eorum exurgeret, et idem Valentinus clericus vivus decoriaretur, et sic factum est. Alter autem,

videlicet Thomas, cum suo populo immobilis permansit, et tandem moriens secundum merita suorum operum diabolo, cui et famulatus est, animam tradidit, cuius poenam nemo dicere posset.

*Quartus decimus Vicarius* Frater Ioannes de Hungaria sive de Vaya electus, et ab eodem Guilelmo Ministro Generali confirmatus.

Haec usque adhuc ex Libro Fratris Blasii de Zalka accepi, et quae sequuntur, a venerabili sene praedicto, qui sub obedientia omnium vicariorum Familiae Observantiae de Hungaria usque hodie militavit cum honore.

---

*Exordium Familiae Minorum de Hungaria.*

Quando iste Frater Ioannes de Vaya praedictus foret Vicarius Boznensis Familiae Minorum, tunc inter Reges Hungarorum et Boznae fuit magna dissensio exorta, propter quod pro pace habenda, Frater Ioannes Vicarius praedictus missus fuit ad Regem Hungarorum, eo videlicet anno, quo capitulum celebrare debebat. Veniens ergo in Hungariam, et fratribus subtilioribus convocatis exhortabatur eos, dilationem capituli petens ab eis in hunc modum: Fratres dilectissimi! novistis bonum pacis, pro quo et filius Dei <sup>¶</sup> altissimus veniens in hunc mundum plurima usque ad mortis supplicium pati voluit, ut inter Deum et hominem pacis tranquillitatem stabiliret, quod etiam nobis manifestum est in omnibus, quoniam inter Regem Hungarorum et Boznae iam bella plurima fuerunt facta, igitur ut capitulum ad annum futurum transferamus necesse est, ut inter Reges praedictos pax et concordia habeatur, quae et in eis virtute Dei permaneat, pro qua et ego nunc missus sum. Haec dixit, et statim inter fratres ex desiderio religionis et eorum simplicitate magnus rumor ortus fuit in consistorio, dicentibus quibusdam, quod non ideo sancti sumus fratres, ut regum euros et principum varia verba specialiter curiosa proferamus (Ecce ubi Observantia Minorum de Hungaria, ubi radicem habuit, et in tantam altissimam crevit arborem). Et tunc quidam frater Hungarus nomine Mi-

chael de Zond irruit inter alios, et manu violenta sigillum ab ipso Vicario rapuit, et extunc dominos Hungaros et Barones adeunt, quos petunt humiliter, ut pro eis Regi supplicarent, ut a Domino Papa impetraret, quod in Hungaria fratribus de Observantia Minorum Vicarium concederet, ipse paret, et sic factum est et supplicatum, et impetratum a Domino Papa Eugenio Quarto concessum, cuius bulla <sup>[43]</sup> habetur Budae in conventu Fratrum Minorum de Observantia, et haec facta fuerunt Anno Domini millesimo quadragesimo quadringentesimo quarto.

*Primus Vicarius eligitur in Hungaria.*

Quo facto primum Capitulum celebratum est in Jenew, et ibi primus Vicarius eligitur Frater Fabianus de Kenieres, et rexit familiam per quatuor revolutiones. Ecce Divina prouidentia hoc factum est, ut primarius Vicarius Pannonicus de Kenieres oriatur, quia secundum Isidorum in Libro Etymologiarum Pannonia abundantia panis interpretatur, cui, et in vulgari Kynyeris concordare videtur. Ecce ergo, quando regiones orbis fuerant divisae, tunc apud Deum non erat observantia minorum de Hungaria ignota, cuius primus vicarius de Kenyeres, sive de Pannonia oriundus erat. Item ut praedicta credant esse vera, legitur in Cronica Hungarorum: Factum est, ut a quodam Domino Barone, videlicet Paulo Chupor, delusus fuisse in haec verba.... *Tót nem ember, pogácsa nem kenyér.* Tunc ipse Dux ira commotus exivit de Curia Regis, et intravit in Regnum Boznae, indutus pelle bovina cornubus erectis, et asinam in manu tenens dicebat: *Ego videbo, si Tót nem ember, Pogácsa nem kenyér,* <sup>[44]</sup> et sic commovit bellum, et cepit vastare confinia Pannoniae, contra quem Rex bellum parans aggreditur, in cuius conflictu multi milites Regis Hungarorum fuerunt interfecti, sicut haec habentur latius in Cronica Hungarorum, de quibus unum militem in armis cum puero suo fratres minores ad corum claustrum in Diako portaverunt, et ibi sepeliverunt cum honore. Et tunc frater Nicolaus de Hathad custos custodiae Diako, quando in nocte ante matutinum oraret ante altare, ecce miles (mirabile dictu) cum suo puero

surrexerunt, et cum praedicto custode certare coperunt per multum tempus ita, ut membra militis mortui in manibus custodis in illo certamine semper manerent, tandem cum miles puerō suo praecepisset ut gladio ipsun fratrem in tibiis percuteret, tunc praedictus Nicolaus custos celeriter in crucifixi imagine inspexit, quae et nunc habetur ibidein in pariete scripta, suspiravit, et exclamavit dicens: Domine Iesu, adiuva iam! et sic illi disparuerunt, ipse autem custos cecidit in terram, et circa matutinum venerunt fratres, et invenerunt eum iacentem quasi mortuum, et accipientes portaverunt ad lectum, et post paululum expergefactus et viribus sumptis convocatisque fratribus, praedicta eis <sup>145</sup> fideliter et conscientiose narravit, affirmans, quod si effoderitis, invenietis in corpore militis ipsa signa, quoniam putrida eius membra semper in manibus meis remanebant, et sic effossa ipsa corpora invenerunt sicut ipse custos narraverat, et tandem extra cimiterium proiecerunt. Et sic propter praedicta, ut ipse Rex Hungarorum ipsi Duci Boznensi condescenderet, Frater Ioannes Vicarius praedictus missus fuit, ut dictum est supra.

Eo tempore omnipotentia Dei per fratres observantes de Hungaria multa miracula operabatur, de quibus aliqua adhuc narranda decrevi, quoniam multi ex fratribus divina suavitate repleti erant, ut aliquando raptum patiebantur; ita ut ipse Imperator et Rex Sigismundus ad videnda Dei magnalia saepius ad claustrum in Chery fundatum accedebat, et talia ibi facientes diligenter comprobando auscultabat, et sic visis divina virtute factis in singularem et eorum praerogativum exarsit amorem, ut ipsis, et eorum desideriis apud summum Pontificem paratum se promittendo offerebat, et sic eisdem omnia ad placitum impetravit. Aliud miraculum in Bechkereke, quod ab eo qui tunc præsens fuit et oculis vidi, audivi, quod duo clientes, qui in confinibus illis Chuzarok vocantur, duo fratres de Jenew spoliati sunt, et de eorum habitibus chuhas sartiri <sup>146</sup> fecerunt. Qui cum ad Bechkereke intrassent, et ibi iuxta ipsorum morem in taberna consolarentur, ecce divina ultione factum est, et super ipsos habitus illi, coram multitudine igne succensi et consumpti sunt, et ipsi

malefactores publica voce confessi, quod duos fratres de Jenew spoliassent, et de eorum habitibus chuhas fecissent, et sic poenituerunt, et usque ad diem octavum clauerunt extremum diem.

*Secundus Vicarius* eligitur in Gywla Frater Michael de Bulchen Anno Domini MCCCCLII. In huius tempore Albertus Rex decessit, et Ladislaus Polonus in conflictu belli iuxta mare una cum Cardinale a Turcis peremptus est, simulque cum viris multis religiosis, praecipue fratribus Cheriensibus, quoniam fratres observantes tunc sic nominabantur, sicut patent haec in Cronica Hungarorum. Eodem anno, videlicet MCCCCLII, Princeps Turcarum Constantinopolim oppugnavit, et sic Caesar nominari incepit, et tunc multa bella inter rebelles Hungaros orta fuerunt per annos sequentes. Et iste Vicarius regit familiam per duas revolutiones.

*Tertius Vicarius* Frater Stephanus de Varsan electus in Palota, Anno Domini MCCCCLVI. Iste enim frater Stephanus, quoniam esset custos custodiae de Jenew, propter nephias aliquod fugiens in Italiam venit, et a reverendissimo Patre Vicario Generali fuit acceptatus, unde iterum propter aliud nephias fugiens, venit ad provinciam summi Pontificis, qui eidem eundi ad Jerusalem, et ibi morandi, ac Deo serviendi licentiam <sup>17</sup> concessit. Et dum ibi aliquot annis Deo servivisset, reversus acceptus fuit apud summum Pontificem, ita ut idem summus Pontifex scribens eidem literas mittebat in haec verba: Fratri Stephano filio charissimo etc; et tandem veniens in Hungariam cum barba prolixa, similiter fuit acceptus apud omnes Hungaros tam saeculares, quam regulares, propter suae conversationis, complexionis, ac sermonis elegantiam. Anno Domini MCCCCLVI celebrato capitulo in Palota electus fuit in Vicarium Fratrum Min. Observantiae de Hungaria. Quando scilicet scutellas lavaret in coquina in barba sua prolixa, et ipse ante alios fecit legere constitutiones in observantia minorum de Hungaria, licet postea int.... puit, quoniam antea fratres observantes de Hungaria solum verbis et exemplis suorum praelatorum appodiati et innixi, tamquam constitutionibus omnipotentis Dei obedientes ita simpliciter

vivebant. *quibus Deus, et omnis creatura obediebat, ut patet in miraculis multis.*

*Anno igitur sequenti videlicet 145 VII.*

Immanis Turcarum Caesar Embrates praedictus ad Nandor Albam, ut ipsam oppugnaret, ascendit, et tunc beatus frater Ioannes de Capistranio a summo Pontifice haereticæ pravitatis inquisitor, quasi lumen totius Christianitatis missus ad plurima regna, videlicet Alemaniae, Poloniae, Bohemiae etc et regiones eiusdem <sup>148</sup> adiacentes, in quibus, quae ipse gesserit, et quanta habentur scripta eius gesta in Uylak, ubi tumulatus quiescit. Ex mandato ergo summi Pontificis idem B. Frater praedictus, et eius auctoritate plenaria in Hungariam descendens, ibique plurimum hanc familiam minorum observantiae vita sua sancta ac doctrinis decoravit, et multos devotos habitu huius sanctae religionis induit, et tandem iuxta praefatam auctoritatem Christi Crucifixi constitutionem in toto regno praedicavit, et ad eius devotionem incitavit, et devotis ad constitutionem excitatis crucis signum divisit, et cum eisdem ad Nandor Albam una cum Ioanne Gubernatore Regni descendit, et in devotione huius sacri nominis Iesus, ac Angelico Ministerio ipsum Turcam, et eius exercitum valde magnum insugam convertit, de cuius gente, scilicet Turcae, sub Nandor Alba quadraginta millia periverunt, et in fuga similiter usque ad Constantinopolim alia quadraginta millia ab Angelis intersecti fuerunt, sicut testantur ipsi Turcae, et haec habentur in Libro, qui Fortalitium Fidei intitulatur. Item eodem anno ipse Gubernator obdormivit in Domino, et sepultus est in Alba Transylvaniae, B. vero Frater Ioannes de Capistrano similiter, et iacet in Ujlak, innumeris miraculis coruscando. Et tunc multae guerræ fuerunt inter Hungaros, quae habentur in Cronica Hungarorum. Frater <sup>149</sup> Stephanus vero Vicarius praedictus familiam circumveundo, vota fratrum occulte et singillatim inquirendo, studendo, singulis, et cuilibet singulariter dicens: quod bonum esset nobis, si Generali Ministro hanc familiam subderemus, quia regula dicit, quod Fratres debeant obedire Ministro

Generali, et sic quibusdam conscientibus, licet non omnibus, in tertia eius revolutione et ultima ipse Vicarius praefatus capitulum intravit generale, et sic timore ductus (ut dicunt quidam) ex quo familia Vicarii Generalis offenderat, cum Generali Ministro instituit, et suam familiam eidem subiecit, et Dominus Papa confirmavit, tandem in Hungariam suam traditam veniens ad familiam, disturbata ipsa familia, quoniam multi haec audientes stridebant in ipsum in tantum, ut etiam verbis iniuriosis eum in persona vilipendentes comitabantur. Ipse cepit fratres seniores et perfectiores angere, et deponere, et iuniores pro se elevare, ita quod, ut dicunt senes, ut qui nunquam antea Guardianus fuisset, sine consensu Capituli in custodem elevabat, et Episcopos ac Barones ad fratum elemosinas tanquam ad convivia invitabat, et sic plurima contra libertatem regulae inducens, etiam regale legibulum filiae Regis Belae, in conventu Strigoniensi servatum, saecularibus pro sui acceptatione, qualibuscunque personis, dividebat. Tunc fratres sanctam regulam zelantes tanto <sup>150</sup> periculo obviantes Generali Ministro ista subscribendo, et pro eisdem humiliter supplicando, miserunt, ut non pateretur per talem contumacem sanctam et immaculatam regulam contaminare, et ut tales non gregis pastorem, sed dispersorem et lupum rapacem iuxta Christi informationem de ovili eiiceret, quia in eo salus discretionis defecit, et iam ad nihilum valet ultra nisi ut foras mittatur, et ab hominibus conculceretur, tamquam indignus, et simul talia multa conquerendo scripserunt. Tunc Reverendissimus Pater Minister Generalis scripsit venerabilibus Prioribus, Custodibus, et aliis fratribus, videlicet senioribus et discretis familiae minorum de observantia Cheriensi in Hungaria nuncupatis, ut praesentibus visis, quantocius convenient, et ipsum fratrem Stephanum de Varsan, de officio Vicariatus absolvant, et loco eius alium, quem meliorem et utiliorem esse viderint, sua authoritate eligant. Congregatis igitur fratribus praedictis ad conventum Pestensem, et ipsum Vicarium in medium vocantibus, interrogantibusque in hunc modum: Si esset obediens Ministro Generali, et respondit, quod sit. Tunc lectis coram eo literis, audivit, quod etiam manu violenta, si

aliter non daret. <sup>¶1</sup> ab eo sigillum accipiant, et ipsum de officio absolvant, et alium pro eo utiliorem eligant. Tunc frater Stephanus pia voce respondit: quod ad solum mandatum paratus est sine aliqua violentia sigillum reddere; et sic restituit, licet alii dicant contra; et tunc complices eius ipsum provocando dicebant, quod non debebat sigillum reddere. Ideo ex magna verecundia et dolore infirmatus est, et per Magnificam Dominam Elisabeth, relictam condam Vojvodae et Gubernatoris Regni, ad locum de Thata per currum missus est, et ibidem quinto die emisit spiritum. Et haec facta fuerunt in quadragesima Epiphaniae Domini.

Et tunc loco eiusdem usque ad festum Pentecostis proximum, quando capitulum celebrari debebat, in Ozora fuit electus in Vicarium Frater Michael Siculus. Item divina providentia factum est, ut ipse tam cito quievit in Domino, quoniam (ut dicunt multi) iterum in Vicarium, ex timore Regis et Baronum, per fratres assunmi debebat, qui ipsos fratres postea permulto tempore provocabant in haec verba, dicentes: quod quousque vestra familia duravit, nunquam talis et tantus frater inter vos fieri poterit. Et haec facta fuerunt Anno Domini <sup>¶2</sup> MCCCCCLXII.

*Quartus Vicarius* Frater Michael Anno Domini 1462 electus in Ozora, qui fecit hanc constitutionem, ut fratres officiales in suis officiis tribus annis integris permanerent, quod ipse solus in secundaria eius electione revocavit. Tunc enim frater Sebastianus Janosy electus custos Transylvaniae missus fuit ad Moldaviam cum fratribus subtilioribus, et dum ibi sanctae vitae insisterent, venit ad eos quaedam mulier a daemonio obsessa, dicens: quod si ipsam a daemonio liberare possent, tunc ipsa ad fidem catholicam converteretur, promisit. Tunc ipsi fratres, quorum unus erat frater Bartholomaeus Zasinus bonae memoriae, qui successu temporis in Vicarium electus fuit, et familiam multum aedificavit, ipsam schismaticam a daemonio liberaverunt, et baptizaverunt. Tunc Calugeri commoti, miserunt ex se aliquot ad fratres dicentes, quod gregi eorum, scilicet Hungaros, provideant, nostro autem, scilicet schismatico populo, nullam curam habent,

neque de caetero habeant. Tunc fratres nuncium eorum verbis contumeliosis affecerunt dicentes, quod barbas eorum prolixas in ipsorum detrimentum conciderent. Tunc eorum Metropolitanus, auditis his, Vajvoda aggreditur, et eidem de predictis querimonias intulit <sup>53</sup> suppliciter. Frater Sebastianus Custos praesatus ad eius conspectum vocatus est similiter, et sic coram Vajvoda altercantibus ipse Custos in haec verba prorupit, alios ad risum, alios ad iracundiam provocando, et se ipsum ac suos fratres ad verecundiam et confusionem, quia commune proverbium est, ut omnis periendus prius infatuandus est, ut nesciat quid dicat, aut agat, dicens: si inquit, nos in isto Regno non fuissemus, vos diu a Turcis captivi fuissestis ducti, et perivissetis. Tunc Vajvoda dixit: ego videbo, si sine vobis Deus a Turcis nos defendat, volo ergo quod vos omnes sine mora de Regno meo exeatis. Et sic fratres fuerunt expulsi de Regno Moldaviae cum magno opprobrio.

*Quintus Vicarius* Frater Valentinus de Szigeth electus in Ujlak Anno Domini 1465. Qui constituit, ut prima et principalis custodia Strigoniensis a Civitate Metropoli nominaretur, nam antea prima et principalis custodia Sebes vocabatur. Item idem Vicarius secundo electus fuit in' Zalard Anno Domini 1468, et tunc frater Michael Siculus Vicarius condam missus fuit ad Papam Paulum, qui ibidem paulo minus quam duos complevit annos, solusque ibidem a sociis derelictus, cum bona relatione, et cum multis privilegiis et concessionibus reversus invenit fratres in Pathak <sup>54</sup> in capitulo congregatos, et ipse fuit ibidem secundario Vicarius electus.

*Sextus Vicarius* Frater Michael Siculus praedictus secundario electus in Pathak Anno Domini 1471. Hic revocavit ordinationem suam, ut scilicet fratres tribus annis integris in suis officiis permanerent.

*Septimus Vicarius* Frater Briccius de Tholna electus Budae anno Domini MCCCCLXXIII. Item secundo idem electus in Ujlak Anno Domini 1477, quo Serenissimus Princeps et Dominus Rex Mathias in Marchiam descendens, et iuxta Savum obsedit castrum Sabach, per integrum

hyemem oppugnans eam, et accipit eam anno sequenti 1476.

*Octarus Vicarius* Frater Gabriel de Paly in Séchen electus Anno Domini 1477. Idein secundo electus fuit Strigonii in Dominica Invocavit Anno Domini 1479, quo anno Turci Slavoniam usque ad Zala desolaverunt, quando Mathias erat in Alamocz; et anno sequenti idem Turcae a Dominis Vajvoda Transilvaniensi et Comite de Tömösvar, Stephano de Báthor et Paulo de Kinis, in Campo Kenier perculti.

*De quibusdam Festivitatibus.* Item Anno Domini 1479. in capitulo Strigonii in Dominica Palma celebrato, Vicario Provinciali Fratre Gabriele de Paly existente, ordinatum fuit, quod festa Sanetarum Catharinac Virg., Elisabethae Viduae et M.,<sup>55</sup> Magdalenae celebrentur sub maiori duplice solemniter de concessione Reverendissimi Domini Legati de Latere nomine Ieronymi, tunc legatione in hoc Regno fungentis. Item festa etiam Sanctorum Martini, Nicolai, et Adalberti Pontificis, neenon Sanetarum Agathae et Dorotheao Virginum et Martyrum celebrentur sub duplice festo minori, ex concessione memorati Legati, prout superinde exstant etiam literae ipsius Legati. Item similiter festa sanctorum quoque Martyrum, Bonaventurae, Josephi et Annae Mariae celebrentur sub maiori duplice ex concessione Sixti Quarti, festum vero Sancti Bonaventurae debebat celebrari iuxta determinationem tunc factam ex concessione praefati summi Pontificis in Dominica secunda Iulii, sed postea fuit variatum per constitutiones patrum cismontanorum, quod festum Omnim Sanctorum celebretur cum octavis, similiter etiam festum Conceptionis Virginis Gloriosae cum novo officio per totam octavam ex concessione Apostolica. Et quod Antiphona *Ave Regina* cantetur a Dominica LXX usque ad Sabbathum Dominicae XL exclusive, et ab ipsa Dominica per totam quadragesiman cantetur *Salve Regina* ex concessione Reverendissimi Domini Ladislai Gereb Legati, et quod in maiori Sabbatho post completorium cantetur *Regina coeli*, item R. de sanctis Hieronymo,<sup>56</sup> Gerardo, Bernardo, Petro Martyre, ac Margaretha, Anna, nec non et Divisione Apostolorum: non dicantur orationes proprias

noviter adinventae, sed recurratur ad commune Sanctorum.

Item temporibus dictorum Vicariorum immediate prescriptorum claruerunt venerabiles senes antiqui in Provincia Hungariae regularis obedientiae, et observantiae praecepit zelatores: Frater Michael de Bewchen, qui fuit secundus vicarius ipsius Provinciae, cuiusque officii tempore B. Pater Ioannes Capistranus ereditur Provinciam ad eandem venisse, ac isthic perstisset. Item Frater Michael Sieulus, Frater Petrus de Silisio, Frater Michael Claudius dictus, Frater Mathias de Zewles, Paulus de Ujvár, Frater Michael de Themesvar, Clemens de Izdenez, Georgius de Szatlmár, qui omnes multis annis successive, coventus et fratres hoc loco observantiae in iam fata Provincia in officiis positi, sub bona regulari et quidem strictissima observantia rexerunt, ac exemplo patrum suorum, multum pro observantia regulari Provincia in eadem laborarunt.

*Nonius Vicarius* electus fuit frater Franciscus de Bánva in Zanto Anno Domini 1481.

#### *De Fratre Michaelie Doctore.*

Tempore Fratris Francisci de Bánva, qui successit praedicto Fratri Gabrieli de Pály, fuit quidam Frater Michael de <sup>147</sup> Sancto Nicolao, existens adhuc etiam in habitu saeculari Doctor, qui erat mirae simplicitatis, et humilitatis, et in Conventu Strigoniensi Fratribus ad id aptis legebat sententias. Item Vicarius iste dum fuisset multum acceptus patribus et fratribus, iterum est electus in Capitulo Budae celebrato Anno Domini 1483, quo tempore etiam bonae memoriae Pater *Pelbartus* solennis praedicator, et in theologia non medioeriter imbutus, in conuento Budensi legebat fratribus aptis super Sententiis. Huius vicarii tempore in prima revolutione in memorato Capitulo in Zanto celebrato ordinatum est de Festo Praesentationis Virginis Gloriosae, quod celebretur ex concessione Apostolica sub duplii maiori, et fiat officium de nativitate, mutando nomen nativitatis in nomen praesentationis, et quod festum translationis sancti Bernardini sub

duplici minori celebretur. Ante Capitulum Budense praefatum in quadragesima tunc practerita, existentibus fratribus in collatione, sol totaliter passus fuit eclypsim, attamen etiam ante occasum cepit delimpidari.

*Decimus Vicarius* electus fuit Bartholomeus Zazymus, de Saaros oriundus, in Zanthon Anno Domini 1485, quo Anno Dominus Rex Mathias Viennam accepit. Qui hanc sanctam familiam exemplo humilitatis et totius <sup>158</sup> virtutis plurimum aedificavit, superflua resecando, illam sacrae religioni et omni virtati inimicam collationem maledictam exterminavit. Item secundo idem electus fuit Budae Anno Domini MCCCCLXXXVII. Item tertio similiter idem electus fuit Budae, Anno Domini MCCCCLXXXIX, et in eadem revolutione, in loco de Thewis obdormivit in Domino, et repositus est ad patres suos. Item anno sequenti MCCCCXC. feria tercia Hebdomadae Sanctae Dominus Rex Mathias similiter Viennae obdormivit in Domino, et Regibus coniunctus est in Alba Regali. Notandum ergo, quod sicut Ioannes Gubernator pater Regis praedicti, et B. Ioannes de Capistrania propter mutuam et sinceram dilectionem, eodem anno de hac vita ad aeternam transumpti sunt requiem, ita iste Dominus Rex Mathias, et Pater Beatae memoriae Frater Bartholomeus de Saaros Minorum Familiae Gubernator eodem anno ad coelestem vitam translati sunt. Quis nunc ex Dominis, et ex fratribus est, quos vobis assimilare possim? Tunc enim multae strages et desolations ex omni parte in Hungaria inter rebelles Hungaros fieri ceperunt, quae narrare nostrum non est ad propositum.

*Undecimus Vicarius* in Giwla a Patribus convocatis eligitur Frater Bartholomeus de Saaros, ut vicem praedecessoris adimpleat, sed novit Deus qui sint suae praesentiae digni, igitur et ipse in Thatha <sup>159</sup> obdormivit in Domino, et repositus est ad Patres suos, cuius vicem laudabiliter complevit Frater Stephanus de Szaporeza. Duodecimus Vicarius in Pubos (?) electus Anno Domini 1491. Item secundo electus fuit idem in Ujlak Anno Domini MCCCCXCIII. Erat homo fauendus in verbo, et praedicator solemnis, acceptusque tam

apud fratres, quam saeculares. Item tertio idem electus fuit in Athia Anno Domini MCCCCXCV, ubi et postea in anno Iubilaei millesimo quingentesimo, cum esset custos in Ujlak, obdormivit in Domino, et repositus est ad Patres suos.

*Tertius decimus Vicarius* Frater Osvaldus de Lasko electus in conventu Pestiensi Anno Domini MCCCCXCVII. Item secundo idem electus fuit in Athia Anno Domini MCCCCXCIX, ubi omnes constitutiones Papales generales et vicariales in unum laudabiliter, omnibus faciliter ad studendum, et observandum comportavit. Iste etiam cepit de unione cum Vicario Generale laborare, sed usque ad finem deducere non potuit, quia secundum eius statuta post duas suas revolutiones cessit officio vicariatus. In Anno ergo Iubilaeo, quo omnes Barones Regni et Nobiles ad Campum Rákos convenissent, tunc quidam, videlicet Magnificus Bartholomaeus Drágfy, et Petrus Gereb, et alii nobiles multi per fratres conventuales inclinati voluerunt observantiam minorum conventionalibus unire, et ideo praedictum vicarium Fratrem Osvaldum in medium vocantes, statuerunt, quem primo humiliter flagitantes rogaverunt, ut sua Observantiae familiae ipsos Conventuales uniret, additis <sup>160</sup> comminationibus, quod, si non fecerit, tunc ipse cum omnibus fratribus suaे observantiae de Regno Hungariae exire deberet. Tunc ipse Vicarius praedictus fortiter perterritus, velut aliam viam invenire possit, eisdem in unione praedicta condescendit, et post haec iuxta ultimam opinionem de unione cum Vicario Generali cepit solliciter laborare, sed usque ad finem deducere non potuit, quia secundum suum statutum post duas suas revolutiones cessit officio. Nam de Baronum comminatione praedictus venerabilis Pater senex Frater Stephanus de Szaporeza condam Vicarius et tunc Custos de Ujlak dicebat, quod nec Regi nec Regno in hac unione obediens erit, sed pro sancta observantia de Regno Hungariae ipse paratus exire esset; in cuius legatione in hac parte fatigatus, ego laboravi non modicum. Iste insuper Pater Vicarius devotissimus *Frater Osvaldus* laborando in sacra scriptura pro aedificatione fidelium et devotione, praedicatoribus edidit plurimos libros, quos *Biga Salutis* nominavit, videlicet de Tempore,

de Sanctis, et Sermones Quadragesimales de praeceptis comportavit, et aliud opus valde utile, quod Gemma Fidei intitulatur. Quiescit Budae in conventu s. Ioannis.

*Quartus decimus Vicarius* Frater Blasius de Nyári, electus Budae A. D. 1501., qui pro unione praedicta misit Venerabilem Patrem Fratrem Bonaventuram de Kaproneza Quartianum conventus Budensis, qui licet post multum tempus ab Italia regressus, tamen eum bona relatione, quia post multa tempora a patribus desideratai unionem cum gudio reportavit, et tunc *Frater Iacobus de Mantua* S. Theologiae Doctor, Reverendissimi Patris Vicarii Generalis Commissarius, de solo nomine gaudens, ad sui libitum antiqua familiae Statuta pvertere conabatur, et quia hoc facere non potuit, quoniam pro hoc missus non fuit, rediens tandem de scipso dixit: Ego sicut circulus, quod non habui, demonstravi.

Item secundo idem electus fuit Budae Anno Domini 1503. Et tunc anno sequenti in festo sancti Vincentii Martyris magister S. Theologiae frater *Pelbartus de Tömösvár* Budae in conventu s. Ioannis quasi subridens obdormivit in Domino. Cuius laus in memoria sequitur Carminibus istis:

Et Pelbartus Plebis ars: Artus nomine Miles,  
Docuit plebem, vicit et hostem, obtinet nomen.  
Bissenis Virgini laudes ecceinit: Stellarium monstrat:  
Tempora Sanctorum quot lector lege Pomeriorum:  
Revelans in quatuor nobis dat scire Magistrum:  
“ Quaeque tua gesta te tollunt caetera Pater:  
Quae nostra narrare desit fecundia facta:  
Tu nostrae decas gentis, tu gloria nobis:  
Iam credita cernis, et coelum te patria tenet,  
Et Deum cum Patre Seraphico nobis ora.

Item eodem anno idem Vicarius praefatus ad Dominicam Oculi capitulum ad conventum Pestensem convocavit, ibique constitutionibus optimis superadditis, assumptis secum sociis ad capitulum generale convolavit. Hie Anno Domini 1510 in senectute bona obiit in Conventu de Ujlak, et ibidem sepultus quiescit.

*Pro ampliori notitia Dicorum.*

Sciendum, quod iste Frater Blasius de Nyáry, qui erat vir bonae industriae, dum in capitulo Budensi Anno Domini 1501. fuisset electus in Vicarium Provinciae, existente tunc Generali Ministro Fratre Egidio Delphin de Anteria, S. Theologiae magistro, et provinciae orientis eodem tempore Ministero, ac antea in Curia Romana procuratore ordinis. Erat autem, ut fertur, multis Cardinalibus dilectus: sub huius igitur Fratris Patris Blasii de Nyáry vicariatu fuit continuatus labor pro unione cum patribus cismontanis. Nam consentiente praefato Generali, ad huiusmodi unionem etiam vota fratrum singulorum conventuum<sup>163</sup> et locorum memoratae Provinciae Hungariae requisita sunt, singillatim et seorsum per disquisitionem et scrutinium aliorum ita, ut quemadmodum facta fuerat separatio per quandam fratrem Stephanum de Varsáu Vicarium, ita etiam fieret unio, ad quam unionem fere omnium fratrum vota concurrerunt, exceptis aliquibus paucis. Et sic tandem, ad supplicationem Regiae Maiestatis ac Praelatorum, Baronum, et Nobilium, suminus Pontifex Alexander 6., suggesto sibi, quod fratres, et loca memoratae provinciae sub obedientia immediata Vicarii Generalis cismontani exstisset, sed iterum ex certis causis ad obedientiam et subiectionem immediatam Generalis Ministri reducti, atque propterea inter ipsos fratres et conventuales nuncupatos nonnullae discordiae et dissensiones exortae fuissent: Reverendissimo in Christo Patri, et Domino Petro S. Cyriaci in Thermis Presbytero Cardinali, ac in Hungaria ac aliis quibusdam Regnis Apostolicae sedis Legato, literis suis mediantibus in forma brevis commisit: ut de praemissis se diligenter informaret, ac omnes et singulas differentias praemissas sopiret ac componeret. Quiquidem Dominus Cardinalis tunc in Hungaria agens, volens pro executione dictarum literarum, et alias, in quantum in eo erat, inter praefatos fratres ortas, et quae oriri poterant, contentiones et<sup>164</sup> differentias amputare et eos ad honestam unionem et concordiam reducere: exquisita et comperta rei veritate etiam per testes fide dignos, de voluntate iam fatorum Regis, Praelatorum,

Baronum et Nobilium, neenon consensu fratrum obseruantium et conventualium, pro perpetua pace et concordia inter eosdem fratres de observantia ac loca eorundem in fato Regno Hungariae (fecit ut) essent sub immediata obedientia et cura Vicarii Generalis de observantia cismontani, sicut etiam prius fuerat, privilegiis utriusque partis salvis remanentibus. Super qua concordia praelibatus Dominus Cardinalis et Legatus literas suas oportunas dedit, quibus literis habitis memoratae Provinciae Hungariae patres observantes pro unione et concordia huiusmodi confirmanda, et confirmatione illius efficienda, apud summum Pontificem *Patrem Bonaventuram de Kaproneza* eum *Michaelis de Strigoniis* miserunt ad Urbem, qui tandem iam pro confirmatione dicta illie labores non exiguo fecerunt, et sic obtinuerunt ab *Alexandro Sexto* confirmationem huiusmodi unionis et concordiae, prout literae confirmatoriae eiusdem *Alexandri* confirmationem hanc, et alia etiam unionem ostendunt; et qui per easdem literas a summo Pontifice mandabant Vicario Generali, tunc et pro tempore existenti, ut praedictos fratres observantes et loca eorum iterum sub sua cura reciperet, foveret et dirigeret. Erant autem tunc duo clarissimi ac docti, expertissimique viri, etiam in ordinis regimine in cismontana familia: *Pater Ieronimus*, tunc existens Vicarius eiusdem familie, Tornielus dictus, et *Pater Ludovicus de la Turre*, qui etiam praecesserat ipsum Fratrem Ieronymum in officio vicariatus: ambo notabiles in familia, ideo ad eos saepesfati Patres Bonaventura et Michael expediuntur cum literis Petri Legati, et condam *Alexandri Sexti* simul cum illis; contulerunt, quatenus patres et fratres provinciae praefatae ac loca eorundem ad obedientiam ipsius Vicarii Generalis reciperentur. Qua re intellecta, prius quam patres et fratres nostri reciperentur ad obedientiam, memorati Patres Ieronymus et Ludovicus modum vivendi nostrum a patribus nostris praefatis Romae existentibus postularunt, ac ubi modus vivendi huiusmodi scriptotenus eis faisset oblatus, illum per omnia ruminarunt, nec tamen visi sunt modum vivendi nostrum condeunare, nisi in quibusdum duobus punctis, nullius vel parvae importantiae; et tamen intellecta rei

veritate, postmodum, nec in altero punctorum horum nos condemnarunt. Et sic tandem <sup>66</sup> fuerunt recepti patres et fratres nostri ad obedientiam, prout suavissimae et humanissimae literae praefati Patris Ieronymi Tornielis, tunc Vicarii, patribus nostrae provinciae missae testantur, quae habentur in forma Budae, et sic rediit unio pristina cum patribus cismontanis, sedente in papatu Alexandro Sexto, Anno 1502. Post quam quidem unionem, tempore praefati Patris Blasii Vicarii, missus fuit a praefato Patre Hieronymo Vicario Generali ad ipsam Provinciam Hungariae primus commissarius, videlicet Pater Iacobus de Mantua, et secuta fuere in ipsa Provincia multa disturbia; veniens namque ipse commissarius, cepit patres et fratres in multis confundere et condemnare, praecipue circa electiones officialium, ac provinciae consuetudines et mores in tantum, quod patres provinciae coacti sunt contra illum mittere ad praelibatum Patrem Ieronymum Vicarium, ad quem missus fuit Pater Benedictus de Mwche, tunc Quardianus de Ujlak. Ast ubi ab eodem memoratus Pater Hieronymus Vicarius rei veritatem intellexisset, iniunxit praedicto commissario, quatenus fierent et procederent electiones secundum provinciae antiquam consuetudinem, et quod cæteras <sup>67</sup> consuetudines, ritus, mores, observationes ciudem provinciae toleraret. Iussit igitur ipse Pater Ieronymus, ut in capitulo provinciali, tunc in proximo imminenti servarentur consuetudines in electionibus, ac ceteri ritus et mores provinciae, in quibus non esset aliquid culpæ vel peccati mortalis; et quia tandem omnia deferrentur ad capitulum generale tunc Mantuae celebrandum.

Interea A. D. 1503. antelatus Frater Blasius de Nyáry rursus Budae (in capitulo ibidem celebrato) reeligitur in vicarium Provinciae, et ad praedictum capitulum generale tempore opportuno se contulit, cum discreto electo, et pluribus aliis, ex quibus plerosque praefatus commissarius ad capitulum generale portavit, et tunc idem vicarius cum discreto visitationes ipsius commissarii per fratres provinciae discussas una cum privilegiis et constitutionibus Provinciae secum detulit, ubi visa sunt per patres, maxime per dictum Patrem Hi-

eronymum privilegia, calculatae etiam ac revisae constitutiones, et nec tunc fuerunt patres condemnati cum constitutionibus et privilegiis, praeter hoc, quod circa modum electionis praefatus Pater Ieronymus, cui commissum erat, certam fecit modificationem, et etiam <sup>168</sup> circa alia nonnulla certas declarationes sub hac verborum forma: *Circa Patres Hungaros respondetur omnibus obiectis.* Et *primo*: circa superfluitatem congregatorum habent pro remedio constitutiones generales Martini V. et Gwilelmi Farinierii in suis Constitutionibus in capitulo sexto regulac. *Secundo* de foderaturis, duplicatis tunicis etc.: Ista stant in arbitrio Praelatorum iuxta declarationem quatuor magistrorum, quia una tunica est ex dispositione regulae, duae ex dispensatione regulae, plures ex declarationibus summorum Pontificium secundum loca ac tempora ac frigidas regiones. *Tertio* quantum ad utensilia pretiosa argenti et gemmarum, conclusum est, quod si huiusmodi non habent patronos particulares, distrahantur per procuratores, et subveniatur aliis locis iuxta determinationem Venerandi Patris Vicarii Provinciae, et Custodis, et Quardianorum dictae custodiae, ubi hacc reperirentur; si non potest exspectari congregatio provincialis, alias remittitur dictae congregationi. Si autem habent patronos particulares: si potest fieri distractio, eorum beneplacito fiat; si minus, vel relegentur ipsis patronis, vel includantur in capsula, de qua patronus ipse tenet claves, et saltem ipsi fratres non utantur ipsis superfluis, quia regula et declaratio <sup>169</sup> prohibet. *Quarto*, circa receptionem pecuniarum utantur privilegio Martini V., quod omnes..... stent penes procuratorem, quem ipsi alio nomine appellant confratrem, nec exigant computum pecuniarum iuxta declarationem Nicolai et Clementis. *Quinto*, circa suspecta consortia habent constitutiones Martini Quinti et Gwilelmi Farinierii, et contrafacientes puniantur. *Sexto*, circa infirmos habent optimas ordinationes in c. 4. regulae. *Ultimo* restat dicendum de electione, contra quam obiciuntur plura: quod non eliguntur discreti, quod non convenient omnes Quardiani, qui sunt praefati, quod non proceditur secundum iuris ordinem. Primo dico, quod potest sustineri ex eo, quia omnes fratres concurrunt ad

electionem decem discretorum, qui habent vocem activam et passivam in electione, sed pro ampliori revisione statuitur: quod visitationes per singula loca habeant semel consensum omnium fratrum, si sunt contenti, quod procedatur in suis electionibus secundum antiquum ritum et consuetudinem. Secundo sit provisio, quod sunt quinquaginta voces, et sint X visitatorum, et X custodum, X discretorum, et vicarius cum discreto totius provinciae; alii decem sunt Quardiani viciniores, et alii octo elegantur ab ipsis XLII de existentibus in capitulo, qui videntur aptiores.<sup>[70]</sup> Tertio, quod procedatur per viam compromissi limitati sicut fit in capitulo generali, et de tali electione non est dubium quod valeat, et sustinetur in foro iudicij et conscientiae, et maxime, quia in bulla papali modus electionis relinquitur arbitrio ipsorum, et antiquissima, et praescripta, et licet non convenient omnes quardiani, sufficit, quod compromittentes in discretos videantur convenire, sicut in electione, quae fit per compromissum. Item, quia talis congregatio omnium quardianorum est quasi impossibilis propter distantiam et pericula locorum, item visum est, quod nullus visitator possit novas ordinationes facere, vel mutare antiquas, sine consensu maioris partis capituli sui. Item prosum est, quod si Reverendus Minister Generalis vellet venire ad visitandum, secundum Eugenium servetur modus, qui est in Eugeniana, maxime ad promovendum eos ad frugem melioris vitac, et si non est talis professorum observantiae regularis sicut sunt ipsi, restituendum est ei cum Leone in Cap. Miratur 61. dis. Tunc totius familiae status nutabit, si, quod requiritur in membris, non invenitur in capite, et ideo, cum non possit ad frugem melioris vitac eos deducere, non debet recipi secundum Eugenianam. Secundo quia condixit mecum nolle quidquam attentare, etiam<sup>[71]</sup> quod potest, sine scitu meo, et ego non dabo licentiam, vel successor meus, nisi prius ipse suos conventuales conformaverit, et se ipsum, ut merito sit nobis tanquam exemplar et speculum perfectionis iuxta cap.: cum Pastoris II. 9 v. Ego Frater Franciscus Zeno Vicarius Generalis immeritus decerno de consensu Patrum, manu propria.

In capitulo siquidem generali supradicto Mantuae cele-

brato Anno Domini 1504. electus fuit idem frater *Franciscus Zeno* in Vicarium Generalem, de cuius vitae et regiminis integritate vide commendationem optimam in Prooemio Libri Conformatitatis novitus impressi. In eodem capitulo fuit quaestio mota contra Boznenses, qui citra Zavam locum novum acceptarunt, super quo habita contentione coram quibusdam Patribus Timotheo et Luca Paulo de Balzamo, Baptista de Mutina, iidei determinarunt, quod Boznenses supersedeant ab omni fabrica praefati loci in Castro Gywletiz cepti ultra Savam, sed veniant ad capitulum nostrum provinciale suppliaturi, quod si concedetur eis, possint prosequi fabricam, alios non.

*Quartus decimus vicarius* Provinciae Hungariae, qui dicto fratri Blasyo successit, fuit *frater Egidius de Czeplid*, electus Budae in capitulo ibidem celebrato, Anno Domini 1505. virtute religiosus, paupertatis amator. (Item tempore praefati Generalis Patris, videlicet Francisci Zeno, [72 antefatus \*]) Generalis Minister Frater Egidius Delphin, totius ordinis, ut apparebat, reformator, venit in Hispaniam, et ad curiam Dominorum Regum Ferdinandi et Elisabeth accessit, ostendens se nimio zelo velle totum ordinem reformare, ut esset unum ovile et unus pastor; et quia nimiam contradictionem aut multas exceptiones ad hoc peragendum reperit, tam ex parte Vicarii Generalis ultramontani, quam caeterorum patrum Hispaniae, abiit; sed iterum anno sequenti revertitur ad eandem curiam, omnibus viribus et pro posse laborans pro dicta unione et reformatione; cum adhuc nihil agere posse se cognovit (Provinciam tamen Aragoniae sub sua observantia relinquentis) Almam Vrbem petiit, et a Sanctissimo Domino Iulio Secundo Brevia obtinuit plura, quorum vigore et auctoritate congregavit Reverendos Patres Vicarios Generales et Provinciales citra et ultra montanas observantiae, atque vocales totius sui ministerii in Urbem pro reformatione et unione totius ordinis Beatissimi Patris Francisci praedicta, et sic

---

\*) Verba parenthesis inclusa in antiquo codice aliena manu interserta sunt.

capitulum generalissimum ibidem celebravit Anno Domini 1506. in SSmo festo Pentecostes, et quia inter alios etiam praefatus Frater Egidius de Czegléd Vicarius Provinciae memoratae cum custodibus conscientia<sup>[73]</sup> ductus, quia Breve summi Pontificis sic sonabat, se contulit ad conventum Aracoe-li, ubi fuit celebratum, sed labor vacuus fuit, quia finaliter nihil actum est ad effectum, in quem praefati convocabantur, ut scilicet fieret unio generalis; nihilominus in eodem capitulo generalissimo praefatus Generalis Fr. Egidius Delphin fuit ab officio generalatus absolutus, et loco ipsius immediate subsequens electus. In quo quidem capitulo, quod continetur in Brevi Summi Pontificis ibidem emanato, acta fuerunt quae in Firmamento Minorum, tractatu secundo, folio 2-do, XLV. Ibidem emanatum fuit quoddam aliud Breve ab eodem Julio, per quod statuit, quod perpetuis temporibus futuris generales vicarii, tam cismontani quam ultramontani, finito termino officii sui, officium ipsum resignare debeant, nec vicarius alius ex eadem provincia, de qua fuit prior, eligi possit, nisi post sexennium. Verba supra memorati Summi Pontificis, videlicet Iulii Secundi: Ubi in Provincia Reverendorum Patrum Vicariorum Generalium cismontanorum et ultramontanorum et aliorum nonnullorum Patrum fuerunt in die sanctae Trinitatis, ista scilicet: Primo: nunquam fuisse vel esse mentis Suae Sanctitatis, quod familiam observantiac voluerit quomodolibet in modo vivendi impedire, aut destruere, et quod amplius<sup>[74]</sup> eam manu tenere velit, et quod paratus sit familiam iam dictam in suis provisionibus conservare, et confirmare, et roborare, quod et fecit. Item voluit Sua Sanctitas, quod deinceps nullum conventum praetextu reformationis cuiuscunque etc. recipiamus; consensit autem in aedificationem novorum. Item voluit, quod totus ordo in duos modos vivendi reducatur, sicut plenius habetur in Brevi, concedendo fratribus nostris et sororibus trium ordinum amplam absolutionem cum plenaria remissione, et in iubilaco nec limitavit tempus acquirendi hanc gratiam. Post capitulum generalissimum praedictum, existente adhuc vicario praefato fratre Egidio in Provincia Hungariae, fuit per Patrem Generalem Vicarium Franciscum

videlicet Zenum missus in ipsam Provinciam Hungariae alter commissarius, *P. Iacobus Gramellus* (?) qui etiam fuit in provincia, non sine turbatione fratrum, ratione quarundam novitatum, quas conatus est introducere, maxime de velo apponendo ad cancellos, ac attorsione fratrum laicorum, et aliis nonnullis, quae quidem novitates videbantur occasio magnae commotionis et scandali, non solum dicti ordinis fratribus, sed et aliorum ordinum, ac etiam saecularibus. Quid exinde secutum sit, infra clarius patebit.

<sup>75</sup> *Quintus decimus Vicarius Provinciae Hungariae* relictus tempore memorati Generalis Vicarii Patris Francisci Zeno antedictus frater *Osvaldus de Lasko*, tertiaro iam electus, Strigonii in Capitulo ibidem celebrato Anno Domini 1507. in Dominica Laetare. .... praeterita, fuit namque capitulum provinciale anticipatum eo, quod anno illo concurrebat ipsum capitulum provinciale cum capitulo generali, ad quod ex more vicarius provinciae se conferre debebat. Electo igitur praefato fratre Osvaldo in vicarium, commissarius praenominatus, videlicet *P. Iacobus Grumellus* (?) fuit in capitulo ipso finaliter, et exivit de eodem satis eam disturbio, ex quo novitates praedictas, ac etiam alias ordinationes suas, absque consensu capituli provincialis, seu maioris partis eiusdem, contra constitutiones Mantuac editas ad effectum deducere satagebat in provincia. Quapropter fuit per praefatum vicarium ad capitulum generale appellatum, tunc in proximo apud Sanetam Mariam de Angelis concelebrandum. Intrante igitur commissario praefato ad huiusmodi capitulum, intravit etiam praedictus vicarius, ubi plures altercationes factae fuerunt inter eosdem coram patribus, presidente antefato Patre Ieronymo <sup>76</sup> Tornielo, qui in eodem capitulo Anno Domini praefato 1507. fuit in Vicarium iterum electus Generalem, et finaliter ad bonam concordiam deventum, et sic tunc emissae sunt constitutiones subinsertae, videlicet „*Primo*: Quod fratres, qui fuerunt attorsi, remaneant sic attorsi, et alii possint se attondere, imo ad hoc persuadeantur propter maiorem uniformitatem, nec aliquomodo inducantur ad non faciendum, quovis colore. *Secundo* quoad velum: ponatur ad omnes cancellos chori in

omnibus locis propter maiorem decentiam et religiositatem, vel fiant hostia integra de tabulis vel asseribus, et ad hoc hortati sunt patres, si fieri potest bono modo. *Tertio* quoad visitatores: eligantur in capitulo provinciali per Patrem Vicarium et definitores, et eligantur guardiani pro visitatoribus, ut non augeatur nimis numerus vocalium. *Quarto*, quoad visitatores, si fieri poterit, bono modo conformiter se visitatoribus Italiae, ita videlicet, quod aequa lance absque acceptatione personarum visitent omnes tam subditos quam praecipatos in praesentia omnium, nisi sint aliqua secreta, ut subditi remaneant satisfacti, quando aliqua dicunt de praelatis. Frater Hieronymus Tornielus Vicarius Generalis cum definitoribus manu propria scripsi.<sup>4</sup> Qui quidem Pater Hieronymus hortatus fuit ibidem in capitulo memorato praelibatum Patrem |<sup>77</sup> Osvaldum, ut una cum patribus provinciae aliquas ex ordinationibus, quas antefatus commissarius facere nitebatur, et iani in provincia eadem constitutus in unum scriptotenus redegerat, acceptaret.

*Anno itaque quo supra, videlicet 1507*, redeunte praefato Osvaldo Vicario in provinciam, congregatisque patribus ex voluntate praefati Patris Hieronymi Tornieli Vicarii Generalis, habita fuit congregatio partialis, in qua tamen fere omnes patres vocales praecedentis capituli provincialis interfuerunt in loco de Pakos in festo assumptionis Virginis Gloriosae, ubi approbatae sunt quaedam ex ordinationibus commissarii praecattati, modificatis etiam plerisque constitutionibus antea in capitulo Budensi tempore antefati Fratris Egidii factis, quae quidem ordinata capituli in Pakos nuncupata videnda sunt loco suo. Huius Fratris Osvaldi Vicarii tempore acceptata sunt quaedam loca, praesertim in Fwthak et Brassoviae. In capitulo provinciali Strigonii celebrato, et quidem pro loco Brassoviensi, amaricata fuit plurimum provincia plus quam alias unquam, eo, quod lis est secuta cum plebanio Brassoviensi, et protracta per plura tempora non sine magnis expensis et fatigis, insuper et amaricationibus fratribus. Huius etiam Vicarii tempore Iulius Secundus praefatus |<sup>78</sup> concessit fratribus provinciae praedictae utendi pretio-

sis; exstat super hoc Breve. Eodem tempore Reverendus Pater Generalis, praefatus Hieronymus, misit etiam literas Regi super eisdem pretiosis.

*Anno sequenti, scilicet 1508,* dubitantibus quibusdam, maxime Vicario Provinciali praefato, an fratres provinciae memoratae Hungariae pro tempore existentes privilegiis indulitis et indulgentiis Vicariae Boznac concessis gaudere et potiri possint? Iulius Secundus praefatus ad tollendum huiusmodi dubium declaravit, et de novo concessit, quod omnibus praedictis uti possint, sicut Boznenses utuntur, ut habetur in Brevi. Anno immediate. . . 15. apr., praefatus Vicarius Generalis misit literas praefato Osvaldo Vicario, attestantes, quia diutini languoris gravedine confractus non posset prosequi officium suum; id idem scripsit aliis suis literis de mense Iunii, advocans ipsum Vicarium Provincialem cum discreto electo ad capitulum generale, significans, quia capitulum ipsum in loco Sancti Spiritus apud Ferrariam celebraretur in festo Corporis Christi anni tunc proxime sequentis. Interea autem idem Pater Hieronymus morte peremptus, piis magnae sanctimoniac attestacionibus ecclesiasticisque omnibus reverenter et devote susceptis sacramentis, ac datis [79] in fine vitae saluberrimis documentis, laudabili et sancto fine quievit. Post cuius obitum devolutum est onus commissariatus generalis in eismontana familia ad Reverendum Patrem Fratrem Archangelum de Piacentia, Provinciae Arli (Arles?) Vicarium, qui suscepto huiusmodi commissariatus officio non multum supervixit, et ante capitulum generale diem clausit extreum. Quo e medio sublato, commissariatus istius officium devoluitur ad Reverendum Patrem Franciscum Columbanum, qui vicem supplexit deficientis.

*Anno igitur 1509,* Fratre Francisco Columbano commissario celebratum est capitulum generale apud Ferrariam, ad quod missi fuerunt ex provincia nostra Patres Michael de Strigoni, tunc custos custodiae Ujlak ut Commissarius Vicarii antefati ad ipsum capitulum proficiisci nequeuntis, ac Bonaventura de Kaproneza discretus electus, et sic convenientibus patribus electoribus ex tota familia eismontana, electus fuit rursus in Vicarium Generalem Pater Franciscus Zeno

praedictus, ex quo quidem capitulo sunt emissae constitutiones per memoratos patres quasi in triplici dataria, quarum paucae factae fuerunt solum ad nostram Hungariae provinciam, per quas etiam Pater Generalis immediate praescriptus cum definitoribus, consideratis considerandis, aleviarunt aliquantulum nostram provinciam, ac ritum eius quoad aliqua..... Et sunt haec :

*|<sup>80</sup> Ordinata Capituli Generalis in Ferraria celebrati  
quoad Hungaros.*

Anno Domini 1509. die 8-a mensis Iunii in capitulo generali celebrato in Alma Civitate Ferrarensi in loco S. Spiritus, quoad Provinciam Hungariae ordinatum est per Reverendum Patrem Zenum de Mediolano, Vicarium Generalem cismontanae familiae, una cum V. P. Definitoribus : Electio vicarii fiat iuxta declarata R. P. Hieronymi de Tornielo in capitulo Mantuae celebrato, quod in electione sint X custodes, X discreti, X visitatores, vicarius cum discreto totius provinciae ; tamen fratres non teneantur ad hoc, ut X quardiani viciniores in loco capituli intersint electioni, sed potius illi, qui videbuntur aptiores, ubicunque fuerint quardiani ; et alii 8 elegantur ab ipsis, 42 de existentibus in capitulo qui videbuntur aptiores, ita quod sint 50 voces. Item definitum est, quod ad electionem discreti mittendi ad capitulo provinciale, quod in una quaque custodia elegant fratres unum discretum secundum antiquum modum eorum, et quicunque habuerit plures voces, sive vota, ille sit discretus illius custodiae, dato, quod non excederet medietatem votorum fratrum sive vocum ; nec elegantur amplius illo modo, sicut hoc paeterito anno elegebatur, propter evitationem discursus, et secularium admiracionem et scandalum. |<sup>81</sup> Item sancitum est, quod definitum capituli generalis Mantuae servetur firmiter in perpetuum pro bono pacifico statu, quod nullus commissarius sive visitator etiam cum plenitudine potestatis veniens possit facere alias constitutiones, ordinationes, vel immutationes sine consensu maioris partis capituli provincialis, nec etiam deponat quar-

dianos sine consilio aliquorum patrum, saltem duorum illius custodiae, non tamen in eodem loco; et si quis eorum contrarium attentaverit, illico sit irritum et inane, nec fratres quoad hoc teneantur eidem obedire. In quorum omnium robur et firmorem stabilitatem manu propria subscrispsit, sigilloque maiori familiae signari fecit Frater Franciscus, manu propria.

*Aliae Constitutiones Generales eiusdem capituli,* ad quas tamen praefatus Pater Generalis noluit provinciam nostram obligari, quoisque veniret ad eandem, et similiter ad alias subsequentes in nomine Domini Amen.

Cum iuxta sententiam capituli exigit de censibus in 6. ex perversorum audacia non debeant praelati esse sola delictorum prohibitione contenti, sed etiam delinquentibus poenam apponere: ideo, quamvis antiquorum patrum constitutionibus sit provisum et prohibitum, ne fratres secularibus personis et negotiis ita se immisceant, quod inde regulari observantiae<sup>182</sup> et praefectioni nostrae detrimentum fiat, tamen invalesceat plurimorum fratrum in diversis provinciis ambitione, insolentia et protervia in tantum, ut secularium principum, dominorum et aliorum magnatum auctoritate et brachio suas tentent ambitiosas affectiones prosequi, cum gravi sanctimoniae et religiositatis nostrae denigratione, ac pene totali disciplinac exstirpatione: ad praecavendum ultimae ruinæ, quae iam ex multiplicatis inconvenientibus videtur proxima, pro reformatione et repressione temerariae praesumptionis istiusmodi ordinat et disponit praesens capitulum generale, quod in loco S. Spiritus apud Ferrariam celebratur Anno Domini 1509. *Primo:* quod nullus frater sive praelatus, subditus, in cisimontana familia, audeat aut praesumat secrete vel publice, directe vel indirecte, verbo aut scripto, nutu aut signo, per se vel per alium, quoquomodo deliberate procurare vel perattentare, quod favore, intercessione, aut requisitione secularium principum, dominorum, nobilium, magnatorum, sive aliarum quarumcunque personarum, ab ordine et observantia nostra extranearum, aliquid fiat, disponatur, aut innoveretur circa regimen, seu curam provincialium, locorum et fratrum

quorumcunque familiae nostrae, sive qui ad institutionem  
guardianorum, deputationem confessorum, aut alterius officii  
promotionem alicuius fratris, vel aliorum fratrum colloca-  
tionem <sup>¶83</sup> aut delinquentium impoenitentium punitionem, vel  
aliorum fratrum expulsionem, amotionem, aut exilium, aut  
aliter quoque, unde possit dissensio aut scandalum oriri,  
aut pax et unio provinciarum et fratrum dissolui, et praedato-  
rum officium quovis modo turbari, aut impediri, sub poena  
anathematis, maledictionis, et excommunicationis latae sen-  
tentiac et praevericationis actuum legitimorum ipso facto in-  
currenda, quae a toto praesenti capitulo infligitur contrafa-  
cientibus; et qui legitime fuerit convictus, contraveniens poe-  
na carceris puniatur. Item sub iisdem poenis firmiter mandatur,  
ne aliquis frater cum huiusmodi secularibus praenotatis per-  
sonis tractare, colloqui aut practicare praesummat, de gestis  
ordinatis et determinatis per praelatos ordinis sive in provin-  
cialibus, sive localibus capitulis, vel aliter, praesertim unde  
possit eorum devotio tolli aut impediri, et sibi scandali ma-  
teria dari, sicut etiam ex antiquis constitutionibus cavetur.  
Item a praedictis poenis nullus possit absoluui aut relevari,  
nisi in mortis articulo, praeterquam Reverendus Pater Vicar-  
rius Generalis, cui specialiter isti casus reservantur, nec un-  
quam intelligantur concessi, in generali concessione absolu-  
tionis cuiuscunque. Item sub similibus poenis tencantur, qui-  
cunque habuerint notitiam de aliquo, vel aliquibus, quod in  
praedictis contrafecerint, vel deliquerint, quamprimum bono  
modo <sup>¶84</sup> poterint de huiusmodi certiores facere, et admonere  
superiores et praelatos, ad quos spectat superinde providere,  
praesertim Reverendum Patrem Vicarium Generalem, cui to-  
tum capitulum in onus suae conscientiae committit execu-  
tionem rigorose et irremissibiliter faciendam contra huius-  
modi delinquentes, absque ulla remissione et indulgentia quo-  
ad praedictas poenas. Committitur etiam ex hoc omnibus  
vicariis provincialibus, ut singuli in provinciarum suarum sin-  
gulis locis ista sic statuta et ordinata divulgent et publicent,  
ut in omnium fratrum notitiam deveniant; ut sibi caveat  
unusquisque, et in quolibet loco dimittatur copia istius determi-

nationis, quae saepius legatur cum aliis constitutionibus familiae et vicarii; qui fuerint reperti circa praedicta negligentes et culpabiles, puniantur haec poena, quod non possint reeligiri in sequenti capitulo, vel si hoc tunc non competenter, priventur tali electione per quinque annos sequentes, sicut ex antiquis constitutionibus pro aliis defectibus ordinatum est, nisi legitimo impedimento valeant se excusare. Item, nullus praedicator, aut alterius conditionis frater, audeat vel praesummat publico vel private tractare, proponere vel inducere ad erigendum de novo monasterium aliquod, tam monialium seu fratrum alterius religionis, habitus, aut congregationis (r.e) ad ipsam curam nostram et <sup>185</sup> regimen deveneriat, nec similiter, quod monasterium aliquod monialium seu fratrum alterius religionis, habitus aut congregationis ad curam et regimen acceptetur in aliquibus civitatibus, aut terris, nec secularibus id postulantibus permissionem facere aut spem dare de acceptando, nisi prius de praedictis fuerit propositum et annunciatum in provinciali congregacione capituli illius provinciae, ad quam huiusmodi cura spectat, et in eadem congregacione, cum assensu R. P. Vicarii Generalis, hoc fuerit approbatum et acceptatum; et contrafacentes ipso facto sint actibus legitimis privati. Item ad maiorem expressionem constitutionum antiquarum declaratur et ordinatur, quod quicunque frater de uno loco ad alium iturus discesserit sine licentia, cum socio vel sine socio, si non vadit ad praelatum suum, ipso facto sit excommunicatus, et carceri mancipetur, si vero recedendo iverit ad praelatum suum, et non servavit formam a constitutionibus traditam, quibus cavetur, ut congreget fratres discretos loci, a quo recedit, ex eis vel saltem uni ipsorum exponat legitimam aliquam causam recessus: tanquam apostata incarceretur, quam causam deinde praelatus suus habeat iudicare, si fuerit rationabilis vel non? <sup>186</sup> Item, ut conscientias indigentium habere recursum ad praelatum sint tutae, et tollatur omnis ambiguitas ignorantium seu scrupulosorum fratrum, declaratur: quod si quis habet easum reservatum, tam de occultis, quam manifestis, in vel super quo non possit habere recursum, vel guardianus loci nolit, vel insirmus est, aut alio legitimo im-

pedimento detentus, vel quia non vult exponere aliis quam praelato causam snam, tunc sufficit conteri, et suo guardiano confiteri, vel habenti curam in eius absentia, qui cum absolvet, et erit in conscientia tutus, cum hoc tamen, quod dum habuerit copiam praelati, et casum ipsum revelare, et hoc imponatur poenitenti in confessione pro poenitentia, quae non possit relaxari vel commutari, nisi a suo Vicario Provinciali. Item declaratur, quod nullus confessorum possit absoluere aliquem fratrem a lapsu carnis in propriam personam, nisi habuerit auctoritatem Provincialis: quod si fecerit, incurrat poenas per alias constitutiones appositas contra absolventes a casibus reservatis quae est praevericationis omnium actuum legitimorum. Item declaratur, quod si quis fuerit renitens et obstinatus in dando voces electione discretorum vel aliorum quorumcunque, sit privatus per triennium voce activa et passiva, et unam disciplinam faciat per misericordem.<sup>[87]</sup> Item mandat capitulum generale, quod nullus frater audiat confessiones monialium, sive sororum nostrae vel alterius religionis aut congregationis claustralium sine licentia Provincialis Vicarii, sub poena praevericationis actuum legitimorum. Item ordinatur, quod nullus fratum deponat vel deponi faciat aliquam pecuniam nomine depositi, vel pro custodia, tam pro restitutione certorum vel incertorum, vel alio fine quoquecumque, tam apud procuratorem (quam apud) aliam quamlibet personam, sine licentia sui praelati, qui habeat determinare, et taxare, infra quod tempus debent tales pecuniae restitui, seu expendi: alias punientur, ut proprietarius. Item nullus Vicarius Provincialis promoveat, seu mittat aliquem ad studendum extra provinciam suam, nisi ex concessu patrum definitorum illius provinciac. Item: obedientiae seu licentiae, quae dantur ad alienas provincias, fiant in duplicata carta, et inter plicaturan sigillentur ad evitandas fraudes. Item habitus est longus sermo super equitantibus sine necessitate; et tandem quod one rentur conscientiae vicariorum et guardianorum, ne sine legitima causa expressa permittant, et porro maxime restringant superfluos discursus<sup>[88]</sup> praetextu recreationis et solatii. Item praedicatores caveant a detractionibus et oblocutionibus con-

tra praelatos ecclesiasticos et principes seculares, et similiter fratres caeteri, tam publice quam private. In nomine Domini. Amen.

*Alia constitutio.* Cum plures fuerit reclamatum in capitulo generali de absolutionibus (?) circa mulierum curiositates, superfluitatem et vanitatem earum in ornamentis: quidam asserentes, quod absolui possint, quidam vero negantes: sic multa fuerunt ex utraque parte adducta; nos autem attendentes, quod turpe est, quando pars non convenit suo toto, et in harmonia, consonantia et concentu pulchritudo consistit universi: idecirca totum capitulum generale determinat, ut membra a suo capite non discedant, quod nullus deinde praedicator, et confessor, ac frater cuiuscunq[ue] gradus et conditionis existat, qui audeat eas absolvere ab infra dictis casibus sub poena non audiendi confessiones mulierum, quae ipso facto incurratur. Qui quidem casus sunt isti: *Primus:* quod mulieres, quae incedunt ostendentes mamillas eoram aliis, absolui non possunt. *Secundo* quod mulieres, <sup>189</sup> quae se fucant adulterinis coloribus, absolui non possint. *Tertio* quod mulieres, quae utuntur alienis capillis, non possunt absolui, nisi quando utuntur ad tegendum earum nuditatem. *Quarto* quod mulieres, portantes vestes incisas, variatas, listatas, et frepatas more histrionum, item longas trahentes caudas per terram, et iuvenes pudenda in brachieriis publice ostendentes, quantum possibile est, a confessoribus expellantur, et quiunque in his excedere fuerit repertus, possint et debeant a vicariis suis puniri, iuxta eorum arbitrium, super quo conscientiae eorum onerantur, nec propter hoc intelligimus caeteras vanitates et fatuitates mulierum approbare, sed quod pro nunc in istis casibus nemo absoluere sub predicta poena audeat. Nec propterea affirmamus et firmiter tenemus, haec semper esse mortalia peccata, sed hoc facimus, quia expedit toti Christianitati, et Religioni, et nostrae familiae eo, quod omnia ista portendant impudicitiam, et dishonestatem, quam nos tememur reprobrare et dampnare; et ne disturbium inter fratres oriatur dicendo: est mortale peccatum, non est peccatum mortale; ordinat et <sup>190</sup> determinat totum predictum capitulum

generale, ut nullus fratrum praesummat absoluere a supradictis, non affirmando, quod sit mortale vel non mortale, sed quia ordinatum est inter nos pro bono communi totius christianae religionis. Tempore memorati vicarii, videlicet Fratris Osvaldi, innotuit in Regno Hungariae insueta et inaudita res contigisse in Alemaniae partibus, oppido Bernensi, quandoquidem per commissionem apostolicam et speciales nuncios Domini Papae viros authenticos ab Urbe destinatos Romana, nec non Dominum Episcopum Lausanensem facto et mirabili praelato processu, et inauditis fictionibus revelationum et adinventionum atque mendaciorum, ac scripturarum quarundam ex patribus ordinis praedicatorum contra sacratissimam et immaculatam conceptionem Gloriosissime Virginis Mariae, et puritatem ipsius, praecipue fratres minores, nec non contra stigmata B. Patris Francisci per artificiosam impressionem et inflictionem quinque vulnerum in manibus, et pedibus, ac latere unius novitii laici simplicis. Unde tales tandem quatuor pseudoprophetae patres conventus huius ordinis, videlicet praedicatorum dicti oppidi, principales actores, utpote Prior et tres <sup>91</sup> alii de principalioribus publice adiudicati et combusti sunt, et novitius ad perpetuos carceres condemnatus, ordine nostro minorum nulla penitus procurante, nec eos incusante, aut in aliquo contra ipsos reclamante, sed Dominis Rectoribus Bernensibus tanquam veris catholicis zelo Dei et honoris B. Virginis ac B. Francisci id propriis motibus procurantibus. Acta fuerunt haec praedicta circa annum Domini 1507. ut supra sub Pontificatu Iulii 2-di.

*Sextus Decimus Vicarius* Provinciae Hungariae anno quo supra 1509. electus fuit Frater Gabriel de Pcehcz Varadino in conventu de Ujlak apud Beatum Capistranum, in capitulo ibidem celebrato; vir quidem humilitatis ac zelator paupertatis. Fuit autem hoc capitulum celebratum in festo Pentecostes, tempore intermedio, quo antelati patres commissarius et discretus ad capitulum generale fuerunt. Huius Vicarii tempore, electionis suae anno priori, secuta est maxima mortalitas et pestilentia, tam inter seculares, quam inter fratres; itaque in illa revolutione vicarius sui defuncti fuer-

fratres 400 minus 14, quo etiam tempore e medio sublati sunt notabiles <sup>192</sup> provinciae patres: *P. Blasius de Nyáry*, qui fuit Vicarius istius Provinceiae; *P. Bonaventura de Kaproncza* superius nominatus; *P. Georgius de Szegedino*, egregius praedicator, et *P. Stephanus de Doroszlo*. Huius etiam Vicarii tempore, mortalitate praedicta durante, a quibusdam duobus morituris fratribus in Selavonia visiones quodammodo mirabiles propalabantur, utpote de temporibus futuris ac contingentibus in eis, quibus quidem e visionibus nonnullae fuere credulae, quadam vero minime. Quid boni, quidve utilitatis ex eiusmodi visionibus secutum sit, nescitur. Unum tamen exemplum, quod pauperes fratres nostrae provinciae apud plorosque praelatos ecclesiasticos non tamen triti sunt in reverentia, sed exosi facti.

Anno igitur Domini 1511. existente Generale Vicario *P. F. Francisco Zeno*, iam fatus Gabriel de Peech-Varadino secundario eligitur in Vicarium Provinceiae Hungariae in Capitulo in loco de Athia celebrato in festo SS. Pentecostes. Inter alia sub codem capitulo antelatus *P. Osvaldus de Lasko*, notabilis provinceiae Pater, Budae e vivis excessit, sepultus ibidem <sup>193</sup> in conventu S. Ioannis. Huius vicarii tempore memoratus *P. Franciscus Zeno* Vicarius Generalis ex debito officii sui statuit capitulum generale celebrandum Neapoli, sed priusquam capitulum ipsum celebraretur, isto interim, isdem venerabilis pater magnae experientiae, probatae vitae existens, e medio sublatus est.

Anno igitur 1512. celebratum fuit dictum capitulum Neapoli, ad quod ex more disposuit se iterum praefatus Pater Gabriel una cum discreto electo Patre Fabiano de Konrad, sed itinere arrepto impeditus fuit. Mare siquidem aggressus, infirmitate quadam ipsum gravante, coactus fuit redire de mari, quapropter misit scriptorem suum in loco sui in commissarium Patrem Stephanum de Iwacz, qui una cum discreto praefato, ad ipsum capitulum generale accessit. Ibi fuit electus in Vicarium Generalem *P. Timotheus de Lucha*, a quo fuit postulatus in lectorem ad Provinciam *P. Marcus de Brixia* Provinceiae Brixiae, et missus per eundem generalem ve-

nit in societate memoratorum, per quos capitulo ex eodem  
exmissae sunt constitutiones hac forma :

<sup>94</sup> | *Ordinationes Capituli Generalis Neapoli factae  
anno 1522, die 10. Iulii.*

*Primo* : quod commissarius Hierosolymitanus, qui tractat in Italia elemosynas illius loci, reddat rationem annualem vicario generali de pecuniis perceptis et expensis. *Secundo* : quod fratres non accedant ad curiam sine necessitate, et praedicatores apostolici sub praetextu apostolicatus non accedant ad limina apostolorum, neque ad portiunculam sine licentia Reverendi Patris Vicarii Generalis scripta, sub poena privationis apostolicatus, quod incurruunt ipso facto. *Tertio* : Ordinat capitulum generale, quod omnino non permittatur, ut teneantur candelae ad vendendum in ecclesiis nostris, directe vel indirecte vel quovis quacsito colore, aut cippi seu capsae ad recipiendam pecuniam, etiam pro quacunque societate, eo quod non solum tenemur evitare malum, sed etiam abstinere ab omni specie mali. Et vicarii de hoc teneantur inquirere. *Quarto* : quod nullus fratrū recedens de loco pro suo negotio, aut pro negotio secularium, audeat <sup>95</sup> equitare sine licentia sui praelati, qui quidem dare non possit nisi cum consilio discretorum, qui diligenter examinent, si est manifesta necessitas, prout dicit regula, videlicet urgentis negotii, prolixī itineris; vel infirmitatis; alioquin tam equitans, tamque dantes licentiam, qui contra fecerint, faciant disciplinam coram patribus, pro qualibet vice per unum Miserere irremissibiliter. Et si quardianus deridit sine consilio, poena graviori puniatur a Patre Vicario provinciae. Ad evitandum discursum fratrū observetur inviolabiliter constitutio Benedicti XII. capitulo sexto. *Sexto* : quod praelati sine necessitate non retineant fratres forenses, nisi per diem naturalem, quando accedunt, sine obedientia aut licentia, servatis servandis. Frater Timotheus de Lucha Vicarius G. mp.

Anno praecedente 1512, tempore praefati Patris Gabrie-  
lis, antefatus Iulius Secundus communicavit fratribus de ob-

servantia privilegia aliorum ordinum, notoriam exemptionem concedens super solutione Quartae, strictissime praecipiens locorum ordinariis rectoribus ecclesiarum, ut in Brevi superinde emanato habetur Budae. Infra istud tempus fuit suscitata et multiplicata in aliquibus locis<sup>96</sup> provinciae societas et confraternitas Verboratorum, quae antea solum habebatur in oppido Papa. Fuit propter talium multiplicationem non parva contradictio in plerisque locis, maxime in Bania, insurgentibus ibidem civibus et viris ecclesiasticis, per quos calunnia quaedam imposita est fratribus non sine illorum tribulatione. Unde invalescente huiusmodi calumpnia, confraternitas praedicta ibidem fuit annihilata. Passi sunt etiam non parvas tribulationes patres et fratres nostri ratione iubilaci tunc per Iulium Secundum impositi, propter quod habebantur exositam praelatis ecclesiasticis, quam sacerdotibus religiosis. Pater etiam Marcus Lector praeformatus, propter lecturam multam et insolita voluit cum studentium exemptione, et impensis studium continuare volens. Ideo aucta fuit etiam exinde tribulatio. Ipse tamen Pater Marcus continuata lectura usque ad adventum commissarii subscripti, rediit ad capitulum generale apud Sanctam Mariam de Angelis celebratum. Anno Domini 1513. Iulius Secundus moritur; loco cuius electus et creatus est Leo Decimus.

*Decimus septimus Vicarius Provinciae Hungariae* [97] fuit Frater Blasius de Dees in loco Visegrád electus, in capitulo ibidem celebrato Anno Domini 1513. Cuius tempore venit tertius commissarius, videlicet frater Benedictus Benkovics Dalmatinus, missus per praeformatum Patrem Timotheum Vicarium Generalem cum amplissima facultate, qui quidem veniens in provinciam, portentabat se nimium zelatorem provinciae, et promittebat omnia se facturum ad vota et cum consilio patrum; sed secus tandem fecit, quoniam posthabito consilio patrum expertorum in provincia, utebatur et ducebatur consilio quorundam sibi adhaerentium, imo adulantium susurronum, maxime iuvenum fratrum, ex quorum suggestione plurima attentavit quidem circa privilegia nostra. Maximam difficultatem faciebat praesertim quoad institutionem

praedicatorum per custodes in provincia fieri solitam ; varios insuper ritus, modosque et novitates conabatur introducere, volens potentissime, ut fratres pulvinaribus utebantur, fulminando cum ob hoc, tum etiam aliis ex causis levibus et parvi momenti in discretas sententias, poenitentias, censuras ; nimis praecipitanter et furiose attentando et faciendo etiam comminationes varias, ac pracepta indiscreta, <sup>[98]</sup> similiter et furiosa non minus iurgitiva, confundendo etiam patres in provincia in ordinis regimine praedecessores emeritos, nondum in religione expertos ad se adtrahens, ad quorum suggestionem et susurrum fratres variis poenitentiis ab eodem plectebantur, semel namque punitos iterum puniebat, relaxationes et exemptiones plurimas faciebat de translationibus fratrum, et aedificiis : quare se ingerendo, et alia plurima innovando et imponendo, quod longum esset enarrare, neque curabat constitutiones Mantuae, et etiam Ferrariae editas. Et interea Pater antelatus Frater Timotheus Vicarius Generalis moritur, et Vicarius Provinciae praedictus ad capitulum generale vocatur. Qua ratione, et etiam ex aliis causis rationalibus multum urgentibus facta est congregatio patrum provinciae in loco Visegradiensi practitulato 1514. 1. May et sequentibus diebus, ubi examinata et discussa sunt memorati commissarii, existentis adhuc in provincia, acta et gesta per praefatum vicarium, custodes, et discretos, et alias vocales praeceptoriae congregationis seu capituli provincialis, ac maiorem partem eorundem, et rescripta ad capitulum generale, tunc in proximo apud Assisium ad S. Mariam de Angelis celebrandum, ad quod <sup>[99]</sup> electus fuit et deputatus pro discreto Pater *Michael de Strigonio*, Quaridianus Budensis, et missus cum commissario memorati vicarii pariter electo et transmisso, qui quidem simul praesentarunt visitationes iam fati commissarii in capitulo pertractata Vicario Generali *Patri Christophoro de Forlivio* noviter electo, qui etiam erat definitor una cum caeteris definitoribus, Patribus Bernardino Ptolomaeo Tusciae, Iacobo de Porcheria S. Francisci Provinciarum Vicariis, ac Francisco Lycheto discreto Provinciae Brixiae; praesendarunt etiam literas supplicatorias patrum provinciae in eum sinem tendentes,

ut conservaremur in ritibus et privilegiis nostris, nec in tantum a commissariis molestaremur. Quibus quidem literis supplicatoriis visis, praefatus Generalis, assistantibus condefinitoribus predictis, notabile verbum discreto et commissario praefatis dixit: Non est, inquit, intentionis meae vel patrum infringere privilegia vestra, sed omnia privilegia vestra manent intacta, similiter et conditiones, ritus, observantiae, et consuetudines provinciac vestrae, dummodo in votis essentia libus conformetis vos: quandoquidem etiam in Italia non est reperire duas provincias simul, quae simul concordarent in omnibus ritibus, consuetudinibus, et moribus. Finaliter <sup>100</sup> capitulo ex eodem antelatus Generalis remisit omnes visitationes iam fatis commissariis, praelibato vicario provinciae, ac definitoribus, manuscripto proprio contestans, quemadmodum omnia et singula acta et gesta ipsius commissarii remitteret dispositioni et determinationi ipsius Vicarii et definitorum provinciae, ratum habere cupiens; extunc, quidquid per illos decretum et determinatum foret, annullando, vel modificando, vel aliter decernendo, unde in vim huiusmodi remissionis, convenientibus in unum praefato Vicario Provinciae una cum definitoribus, attentata per memoratum fuerunt annullata in multis, et alia generaliter decreta: prout de his existat notula quaedam, facta superinde subscriptione Vicarii et definitorum in capitulo Budensi. Tempore intermedio, quo praefati discretus et commissarius fuerunt ad capitulum generale, contigerunt in Hungaria maximae seditiones, tumultus, bella intestina, caedes, homicidia, mutilationes, sacrilegia, rapinae, et aliorum malorum genera, humani generis inimico, populum communem, duce corum <sup>101</sup> quodam Georgio Székely, sub colore et praetextu cruciatae per Reverendissimum Thomam Cardinalem Strigonensem et Legatum allatae, adversus nobilitatem stimulante. Quippe cum arma, quae contra Turcas saerae fidei hostes bene verti debebant, in sanguine Christi fidelium effundendo debacchata sunt, nec finis tot, tantorumque malorum alias inveniri imponique potuit, nisi Rex, Domini, et nobilitas Regui pro sui defensione manus apposuerant, et gentes suas adversus plebiam huinsmodi milii-

tiam<sup>i</sup> in nobilitatem saevientem miserunt, et concitarunt, atque et armis furorem eorundem compescuerunt. Itaque in conflictibus, pugnisque mutuis, pluries hinc inde caedes, homicidia, vulnera, et aliorum malorum genera dictu etiam horrenda, patrata fuerunt, deformatis ac partim eversis, aquatisque partim solo, plerisque oppidis, Baya praesertim et Szent lewrinco: aliis dicentibus, quod ad XXV millia, aliis autem plus quam videlicet ad XXXII millia hominum mutuis in conflictibus interierint, ut quemadmodum dnobus rusticis Regibus (de quibus in Cronica Hungarorum legimus) insurgentibus clades maxima fuit, ita, ut modo nobiles, tandem et domini finaliter praevaluerunt. |<sup>102</sup> Multi etiam, ne dum presbyteri, sed etiam religiosi, miserabiliter occisi sunt: alii utpote igne combusti, et assati, alii palo infixi, alii obtruncati, alii scissi in partes, et principalis eorum ductor, scilicet prae-fatus Georgius Székely, dentibus pecuariorum(?) id est hayduknak, traditus est lacerandus, et sic tunc quasi humano maduerunt cruento. Nullus tunc otio, nullus paci relictus fuit locus, exceptis aliquibus comitatibus, in quibus plebeios uteunque sedarunt. In tantis discordiarum seditionumque fluctibus etiam patres et fratres nostri versati sunt in maximis animarum curis et tribulationibus. Ex capitulo fato emissae sunt iam nonnullae gratiae simul cum certis festis duplicitibus; summus namque Pontifex Leo X., ad petitionem venerandi patris ultramontani circa indulgentiam illam vulgatissimam, pietatisque populorum. Fides a sanctissimo Gregorio Papa concessam tenet, cum nulla authentica scriptura inventiatur, quod praedicatores verbi Dei valcent illas devotis publicis denunciare, illosque ad tantum bonum hortari, in novo commone fecit, illasque innovavit, et easu quo non essent, concessit de novo, imo vestigiis suorum praedecessorum |<sup>103</sup> inhaerendo, de thesauris S. Matris Ecclesiae dictis indulgentiis etiam superaddidit, cum huius orationis adiectione ad alias, videlicet:

„Domine Iesu Christe! adoro te ad iudicium progradientem, instos ad Paradisum vocantem, peccatoresque damnantem; deprecor te, ut tua passio liberet nos ab illis poenis Amen.“

Idem Summus Pontifex ad petitionem, cuius supra (meminimus) concessit, quod praedicatores verbi Dei, et confessores ordinis minorum observantiae, quando actu praedicant, et confessiones audiunt, ut in Adventu, et Quadragesima, possint officium divinum anticipare, et festa illis diebus reservare, quibus illis amplius laborandum est, non in fraudem divini officii, sed ut liberius valeant studio vacare, et consolationi spirituali fidelium populorum incumbere. Declaravit etiam Sua Sanctitas, quod fratres dicentes officium extra chorūm, sicut saepe contingit propter occupationes occurrentes, non tenentur duplicare litanias, quae ex ordinario in Quadragesima post matutinum decantari solent, neque Domini, praesertim quando sunt in itinere constituti, vel alias, infirmitate sive occupatione praepediti. Item Sua Sanctitas <sup>[101]</sup> ex sua clementia et benignitate concessit, et commisit Vicariis Generalibus, ut in capitulis eorum tunc imminentibus valeant et debeat sua apostolica auctoritate fratres suos tam praesentes, quam absentes nomine Suae Sanctitatis benedicere, et illis plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem donare, et ut praedicta remissio salubrius ciudera fratribus concedatur, pie indulxit Sua Sanctitas, quod omnes fratres possint sibi eligere confessorem in ordine et observantia nostra, qui infra dies a publicatione solemnis huius tam salubris concessionis facienda, seu aliud tempus per Vicarium Generalem, vel Provinciales declarandum ab ipsis Vicariis Generalibus sive Provincialibus, aut Guardianis, in capitulis aut locis eorum, hac vice solun, et de praeteritis tantum illos auctoritate Apostolica absoluant ab omnibus peccatis eorum, et criminibus, reatibus, excessibus, atque delictis quibuscumque, et quantumcumque gravibus, etiamsi talia forent, propter quod esset sedes praedicta merito consulenda, etiamsi inveniretur easus aliquis (quod Deus avertat) <sup>[102]</sup> qui esset in reatibus reservatis in bullā Coenae Domini, cum pro hac vice et de praeteritis ... de plenitudine Apostolicae auctoritatis talem valeat absoluere, et animam illam per veram absolutionem suo creatori reddere, pro qua indulgentia plenissima, et absolutione consequenda teneatur unus quisque fratrum dicere quinques Orati-

onem Dominicanum cum septem Ave Maria et Credo, cum psalmo Miserere mei Deus, et Antiphona: Ne reminiscaris, et cum oratione: Deus cui proprium, pro felici statu S. Matris Ecclesiae, et beatitudinis sua fausta conservatione. Item concessum est ab eodem Sanctissimo Domino nostro ad scrupulosarum conscientiarum quicitationem praedictis Vicariis Generilibus nunc et pro tempore existentibus, cum facultate committendi Provincialibus, Vicariis, et Quardianis, sive aliis, prout illis cum matura deliberatione videbitur expedire, ut possint de caetero Apostolica Suae Sanctitatis auctoritate cum fratribus sibi subditis, et qui erunt usque ad XX annos, dispensare seu dispensari committere super irregularitate quacunque et qualitercunque contracta bigamiae,<sup>|106</sup> et homicidii voluntarii cum effusione sanguinis manu propria perpetrata, vel alterius studiosae machinationis in mortem alterius, sive in veneni propinazione, et huiusmodi morte tendem subsecuta, et non aliter, tantummodo exceptis maxime, si qui fuissent in seculo recolentes, et forte, postquam in ordine sunt, sese irreguralitatis notam incidisse incaute et forte studiose ex eo, quod malefactorem prodidissent, propter quod fuissent . . . . forte ultimo condemnatis supplicio, vel forte similiter damnatis insultassent, aut favissent, si accidisset etiam ligna ministrando comburendis, aut acclamando: moriatur Ribaldus iste; aut si in conficiendis medicinis, dum illi ministerio incumbebatur, ordinationem medici praeterivissent, et aliud propria phantasia subministrassent, propter quod forte aliquando mors fuisset subsecuta in paciente; vel si quispiam iudicibus sententiam proferentibus astitisset; aut in susceptione sacerorum ordinum legitime non processisset, defectu aetatis, aut praeter superioris voluntatem, sive in consortio excommunicato<sup>|107</sup>rum, sive etiam ex parte conferentis, sive alterius quovis casu, vel impedimento, quae omnia enumerare non sufficeret. Denique concessit Sua Sanctitas, ut ab electis confessoribus eadem sua apostolica auctoritate fratribus similis absolutio et dispensatio impendi valeat super defectibus, sive erroribus plurimis a fratribus inauditis confessionibus commisis, cum omni et quorumcunque defectuum quantumcunque

enormium supplicatione in utrisque, poenitente videlicet et contente, et de simili, et tantum de praeteritis Sua Stas de gratia speciali indulxit, et misericorditer condonavit, cum non omnes fratres aequaliter sapient, nec in illa, quae est ars artium, sint et fuerint cuncti sufficienter instructi: quandoquidem verisimile sit, quod aliqui defecerint timore, alii rubore, alii superbia, alii ignorantia, alii pusillanimitate, alii falsis promissionibus per poenitentes decepti, alii incuria, alii amore, vel odio, et in alienam messem forte falcem posuerunt, propter quod censuras infinitas incurrerunt in ipsorum et poenitentium animarum periculum grave. Et quod moniales S. Clarae, eorum curae subiectae, et aliae B. Mariae |<sup>108</sup> Annunciatae, eis subiectae consequantur easdem indulgentias; et cum indulgentia ultra praemissas X annorum, et totidem quadragenarum, et quod possunt absolu a quibuscumque censuris. Et datae sunt istae literae Romae XI. Cal. Aprilis anno secundo praefati Pontificis.

Festum S. Martini, nec non Sebastiani, et S. Marthae fiant sub duplice maiori: Leo Papa, qui supra, concessit, et capitulum generale sic decrevit. Festum S. Ioachim duplex maius in crastino S. Ioseph Iulius Secundus concessit. Festum S. Gabrielis in vigilia S. Ioseph duplex maius idem Iulius; festum S. Barbarae duplex maius idem et capitulum generale decrevit, festa S. Margarethae Virginis, ac Gerardi Episcopi, nec non Demetrii fiant sub ritu duplice minoris: Leo quoque similiter concessit provinciac nostrae festum S. Blasii Episcopi et Martyris celebrandum ritu sub eodem duplice minoris. Antelatius Thomas Cardinalis et Legatus, imperante praefato R. Patre Blasio de Dees Vicario Provinciae, et hoc pro eadem provincia.

Item in capitulo generali praefato fuit publicatum Breve Sanctissimi Domini Leonis X. contra illegiti |<sup>109</sup>mos ne possint ad ordinis officia assummi. Item ex eodem capitulo emissa sunt etiam ordinata infrascripta.

*Ordinata in capitulo generali  
apud Assisium celebrato 1514. 13. Junii.*

Imprimis ordinatum fuit, quod praedicatores apostolici, virtute apostolicatus non possint exire provincias suas nisi de licentia suorum vicariorum. Item, quod virtute praedicta dum existunt in provinciis suis, non possunt adire ad presentiam Reverendi Patris Vicarii Generalis, nisi habita licentia a suis. Tertio quod censura posita in constitutionibus factis apud Ferrariam in capitulo generali celebrato, de revealantibus facta, et secreta, ordinis secularibus, sive extra ordinem ad tollendos laqueos animarum amplius non ligat, et est sublata, aliis poenis in constitutionibus positis firmis remanentibus. Quarto quod de S. Ioseph et de S. Anna fiat mentio in litaniis. Quinto quod auctoritas quoad compositiones iubilaei tantummodo conceditur Patribus Vicariis Provin*|<sup>100</sup>*ciarum, vicarii tamen possint committere duobus et tribus patribus secundum latitudinem provinciae probatis. Sexto quod fratres venientes de Ierusalem, qui non vadunt Venetias, quamprimum applicuerint ad provincias suas, teneantur ostendere Vicariis Provinciarum per obedientiam provincialibus res quas detulerint de Ierusalem, et hoc sub poena et amissione ipsarum rerum. Septimo : dogmatizantes, quod praelati ordinis nostri non possint obligare suos sub censuris ecclesiasticis, nec eos excommunicare si convicti fuerint, pro prima vice privati sint actibus legitimis, et si perseveraverint in ipso dogmate, nec cessare voluerint, carceri mancipentur. Octavo quod de S. Dominico fiat festum duplex minus. Nono quod nullus audeat ire pedibus nudis sive calopodiis; sed conformiter se omnes consuetudini familiae, et hoc sub poena carceris, si moniti a praelatis ab huiusmodi non cessaverint.<sup>[111]</sup> Decimo quod de Boznensi Vicaria fiat et vocetur Vicaria Argentinae Boznae.

Item in capitulo certatum est eoram auditoribus causarum Fratre Francisco Georgio Vicario Provinciae S. Antonii, fratre Seraphino de Malfire Vicario Provinciae S. Nicolai, et Fratre Evantano de Pralbuin Vicario Provinceac Brixiae, circa loca quae praetendebant Boznenses, sive Croatini, capere ultra Savam ; et porro coram eisdem auditoribus exceptae Provinciae nostrae Hungariae oblatae fuerint Bullae Nicolai et Sixti

cum allegatione molestiarum nostrarum contra ipsa privilegia, praesentibus vicario, discretoque Boznae, per quos exhibita fuit bulla parva dicti Nicolai surreptitia, contra quam allegantibus nobis illam surreptitiam et consequenter literas Sixti posteriores allegarunt contra, et ipsi se habere posteriores a Sexto, quas nequierunt ostendere, et etiam a Iulio, quas in forma ibidem exhibuerunt, quibus concedebatur inter alia ipsis loca posse assummere usque ad Dravum, et etiam acquirere |<sup>112</sup> possessiones, et alia, nullam tamen faciebant mentionem, saltem specialem, de nostris privilegiis; faciebant autem mentionem de bulla Sixti, quam ipsi Boznenses se habere practendebant, contra quas et etiam alia allegata ipsorum Boznensium obiecta fuerunt plurima, partim ibidem allegata, partim vero scorsum inculcata, tum quia decisio facta fuit Mantuae in contrarium, tum quia literae tam Nicolai, quam Sixti, et etiam Iulii surreptitiae forent, et Breve Iulii post decisionem iam dictam, et etiam sine scitu generalis et commissarii sui, et contra professionem ipsorum procuratum; tum etiam, quia non est habita mentio in illo Brevi, nec aliis praedictis de nostris bullis, sed neque divisione, et constitutione Papae super metis, et quod literae ipsorum fuissent tacita et suspensa veritate obtentae, nec per consequens nostris bullis saltem sufficienter derogatum, prae-assertim tum nostrae fuerint etiam per Sextum et Leonem X. modernum confirmatae; neque possent praetextu Brevis, et aliarum praedictarum, |<sup>113</sup> interrumpere constitutionem Papae, quae esset perpetua sive perpetuata, nec reclamatum contra eandem saltem palam et legitime ab annis pluribus; hinc etiam praescriptio esset perpetuata. Obiecta fuerunt et alia, ut quod non poterant Boznensem assummere locum sine scitu et consensu Vicarii Generalis, et contra constitutiones cismontanas, et quia literas Sixti et Iulii hactenus semper occultarunt, et plura hincide proposita.

Determinatum itaque fuit in capitulo iam fato per auditores praedictos, de consensu et mandato Vicarii Generalis et definitorum, quod stent sententiae datae Mantuac in capitulo ibidem celebrato 1514. quod videlicet locus S. Mariae apud

Savain, de benignitate concessus, in confinibus Hungariae captus ab ipsis Boznensibus teneatur et quod dcinceps nullum amplius locum capere debeant, non obstantibus indultis et concessionibus, quas ostendunt Boznenses, quae non faciunt mentionem de illa determinatione, neque de privilegiis nostris. Superinde extant literae memoratorum auditorum in con|<sup>114</sup>ventu Budensi sigillatae per praefatum Generalem Vicarium cum appositione manus propriae; similes literae habentur in conventu eodem Mantuae, et in aliis capitulis generalibus datae super hac eadem re. Huius tamen rei veritas clarius et plenius habetur in Italia in matrica, sive in Libro Patrum cismontanorum, in quo solent acta capituli generalis annotari.

Item, cum ex utraque parte delatae fuerint querelae, quod videlicet utriusque vadunt ad civitates et provincias: consocii vadunt ad seculares absque licentia guardianorum, et ibi comedunt et eunt domum ad libitum etc. De mandato quorum supra determinatum est, quod dcinceps si contigerit patribus de Hungaria accedere ad Patres Croatos aut Boznenses, et e contra, non declinent ad seculares, nec discurrant huc et illuc, sed primo se praesentent guardiano loci antequam discurrant, cum sua bona licentiaexeant domum et visitent, et pertracent negotia sua, et hoc servetur inviolabiliter ex mandato R. P. Vicarii Generalis, et sub poena ad arbitrium praefati Reverendi Patris;<sup>115</sup> et privationis officiorum, si sunt praelati. Ego Frater Christophorus Generalis manu propria scripsi.

Tempore vicarii iam fati, sui vicariatus anno 2-do, vide-licet 1514. circa festum Omnia Sanctorum antelatus *Pater Gabriel de Peech Varadino*, alias Vicarius Provinciae Hungariae, assumpto in socium Fratre Ioanne de Pastho, sacerdote, cum obedientialibus literis R. P. Generalis exivit ipsam provinciam, et Ierosolymam petiit.

Anno Domini 1515., existente adhuc Vicario praefato Patre Christophoro de Forvilio, praclibatus Frater Blasius de Dees secundario reeligitur in Vicarium Provinciae Hungariae Budae, in Conventu S. Ioannis, in capitulo ibidem in festo pentecostes celebrato; cuius tempore venit iterum quartus

commissarius Pater Frater Iacobus de Porearia de provincia S. Francisci, qui bene stetit in medio inter patres et fratres, absque hoc, quod finaliter adhaerebat quorundam suggesti-  
nibus. Qui ante capitulum provinciale est regressus in Italiam. Medio tempore, quo venit ad provinciam, ortae fuerunt multae dissensiones in provincia propter distractionem pretiositatum in locis fratrum existentium, quam quidem |<sup>116</sup> distractionem memoratus P. Blasius facere intendebat, sed parum profecit, et dictus Pater Commissarius tenuit medium, et decrevit, quod nil innovaretur circa distractionem praefatam usque ad capitulo generale, et detin optionem fratribus utendi vel non utendi dictis pretiosis.

*Decimus octavus Vicarius Provinciae Hungarie* fuit Frater Albertus de Dereslien in novo loco de Fwtak electus in capitulo ibidem celebrato Anno Domini 1517., circa festum inventionis S. Crucis. Electus est autem die Mercurii, dictum festum immediate praecedente. Qui statim post electionem coactus est venire cum discreto ad capitulum generalissimum, quo votis 43 Generalis quasi totius Ordinis eligitur Frater Christophorus de Forlivio, qui fuerat antea Vicarius Generalis cismontanus. Sanctissimus namque Dominus noster Leo X. ostendens se nimio zelo velle totum ordinem refor-  
mare, ut esset unum ovile et unus pastor : ad instantiam principum totius Christianitatis congregavit Reverendos Pa-  
tres Generales, Vicarios, et Provinciales citra et |<sup>117</sup> ultra-  
montanos observantiae, atque vocales cuiuslibet provinciae, nec non Provinciales Ministros, custodes atque vocales totius ministeriatus conventionalium in Sanetam Urbem Romanam pro reformatione et unione totius Ordinis Beati Patris nostri Francisci, et sic capitulum generalissimum fuit in Ara Coeli de Urbe celebratum, Anno quo supra 1517. In quo capitulo Reverendus Pater Generalis Minister frater Bernardinus de Chorio fuit ab officio absolutus, et loco illius praefatus Pater Christophorus electus ab universis observantibus, ad cuius electionem concurrerunt et vocem habuerunt etiam caeterae congregations, videlicet Amadeorum, Clarinorum de Saneto Evangelio etc. ex voluntate Summi Pontificis, qui ad huiusmodi

electionem tres praecipuos Cardinales misit : Protectorem Ordinis S. Eusebii, et quatuor coronatorum. Quoniam autem Summus Pontifex multas contradictiones sive exceptiones ad hoc peragendum habuit a conventionalibus, voluit et decrevit, quod ipsi conventionales haberent Generalem Magistrum ac Provinciales |<sup>118</sup> Magistros, observantes vero Ministrum Generalem et Ministros Provinciales ; et sic nomen Ministri translatum est ad observantes.

Et praefatus P. Albertus, existens Vicarius Provinciae, institutus in dicto capitulo generalissimo una cum aliis ministris *primus minister Provinciae Hungariae de observantia regulari*; et de hoc exstat bulla praefati summi Pontificis ; et sic Provincia Hungariae observantium iterum rediit sub immediata obedientia Generalis Ministri, prout ante fuerat. Tempore intermedio praefatus Gabriel iterum rediit in provinciam Ierosolymam simul cum suo socio.

Constitutiones ex isto capitulo sunt allatae, ut habentur in sacristia Budensis conventus.

Iterum anno 1518. in festo S. Bonaventurae celebratum est Lugduni capitulum generale, ubi electus est *Frater Franciscus Lichetus de Brixia* in Generalem Ministrum, ex voluntate Summi Pontificis. Accersiti sunt omnes ministri et |<sup>119</sup> custodes custodiarum, tam cismontanarum, quam ultramontanarum, et etiam reformatorum ; ex quo quidem capitulo similiter allatae sunt constitutiones, quae exstant in sacristia Budensi.

Postmodum 1521. in festo Pentecostes celebratum est capitulum Carpi ad quod et similiter accedere debuerunt, et factae suut nonnullae constitutiones, et habentur in loco, ubi supra. Quamvis antea celebratum fuerit aliud capitulum, primum cismontanorum, Burdegalliae 1520. in alio festo Pentecostes, et ex hinc etiam exstant constitutiones generales.

Decimus nonus Praelatus, et *Minister Provinciae Hungariae fuit secundus, Frater Bernardinus de Somlyo*, in capitulo Budensi 1520. celebrato electus. Hic erat homo procerae staturae, et devotus, qui dum officio suo in sequenti capitulo iterum Budae celebrato cessisset, electus est in locum suum

Minister *Frater Gabriel de Pechvaradino*, superius de quo dictum est.

Item huius Patris Ministri Bernardini tempore, dum curreret Annus 1521, venit Caesar <sup>[120]</sup> Turcorum tota potentia, et obsedit castrum Nandor-Alba, et quia principes nostri una cum Rege fuerunt negligentes ad subveniendum obsessis, ideo capta est Nandor-Alba a Turcis, et Sabach ex alterutra parte Savae, ex ista autem parte omnes munitiones usque ad Szent-Demeter obtinuerunt Turci, et simul prosequentes populum usque ad Eszek devastarunt, et igne villas ubique consumserunt, et ita Caesar Turcorum potitus victoria, rediit ad Constantinopolim. Sed anno sequenti fuit trans mare, et cepit Ierosolymam et totam Terram Sanctam, ubi in duobus conflictibus cum Zoltano duos Reges Zoltanorum interfecit, ac regnum ipsorum obtinuit.

Item huius Patris Bernardini Ministri tempore Egregius Dominus *Paulus de Thomor* in festo conceptionis Virginis Mariae, dum flueret annus 1522, intravit ad nostrum ordinem, et in loco de Palota habitum religionis accepit. Qui tandem auctoritate Summi Pontificis acceptus est, et in Archi-Episcopum Colocensem <sup>[121]</sup> ac Baciensem, de communi consensu Regis ac principum Regni electus, et in supremum Capitanum Regni exaltatus in inferioribus partibus Hungariae; nihilominus tamen habitum ordinis semper tulit, et contentus duobus fratribus observantiae regularis sibi in socios per Provinciam Ministrum datis; et ita humiliiter vixit, ut si vidisses, miratus valde fuisses, cuius testis ego ipse sum, qui cum Sua Paternitate in confinibus dictis socius existens per annum et medium steti, qui fuit et in tanta dignitate, ac inter tot curas, semper observator regulae sanctae minorum. Huic Summus Pontifex Clemens VII. multas gratias concesserat, inter quas haec una fuit, ut maleficos in illis partibus iudicare, occidere, ac occidi mandare absque irregularitate incurrente poterat; insuper et ad omnes clericos ac religiosos secum proficiscentes ad bellum contra Turcas absoluere et dispensare cum iisdem, quantumcunque et quocunque homines in illa <sup>[122]</sup> pugna interfecissent, habebat auctoritatem. Hic Bachiac

in Ecclesia Cathedrali consecratus in Archi-Episcopum existit, retinente nihilominus dictam authoritatem tam a Summo Pontifice concessam, quam a Rege et a principibus datam, semper in habitu ordinis secundum morem provinciae incedendo.

Item anno Domini 1523 celebratum est capitulum generale in provincia et conventu Burgensi Regni Castelli in die sancto Pentecostes tempore Adriani; et ibi electus est Reverendus Pater *Frater Franciscus de Angelis* in Ministruum Generalem. Et in eodem capitulo statutum est, quod Provincia Hungariae fratrum olim de familia, vocabitur *Provincia S. Salvatoris*, et Provincia Hungarorum olim reformatorum vocabatur: *Provincia Hungariae S. Mariae*.

Item huius tempore venerat iterum quintus commissarius ad provinciam istam nomine *Frater Andreas Alamanus de Florentia*, qui non erat fratrum nostrorum de observantia verus commissarius destinatus, sed tantum pro <sup>123</sup> reformatorum sive conventionalium fratrum provincia delectus; ipse tamen sua astutia deceperat patres nostros, et sic inter nos etiam suum fecit officium velut voluit. Hic prius celebavit capitulum fratrum reformatorum in Veteri Buda, et tandem in Dominica septuagesima Anno Domini subscripto Budae apud S. Ioannem et nostrum capitulum celebratum est ipso praesidente.

Anno igitur Domini 1523 Budae apud S. Ioannem celebratum est capitulum provinciale in Dominica septuagesima, praesidente praefato Patre Commissario Fratre Andrea Alamanu de Florentia, ubi iterum in Provinciae Ministruum eligitur praefatus *Gabriel de Peche-Varadino*.

Item in hoc capitulo provinciali ordinatum est pari consensu secundum decretum generalissimi capituli, quod iubet praelatos usque triennium suum portare officium, nee ultra extendi posse, ut patet in bulla Papae, ut iterum tantummodo usque ad duos sint annos praelati in officio, et ita celebretur capitulum in tertio festo Pentecostes, velut etiam ante capitulum illud generalissimum erat consuetudo Provinciae <sup>124</sup> condescendentio hoc dicto Patre Commissario.

Item in capitulo praefatus Pater *Bernardinus de Somlyó*, post resignationem sui officii, ut moris est, tandem supplicavit fratribus, ut ipsum ad Ierusalem intromitterent, assignando literas obedientiales ipsius Generalis Ministri propter hoc impetratas, et dicto Patre Commissario consentiente, sed ei patres nostri contradicere non potentes, dimiserunt ipsum, assignantes sibi in socium Fratrem Mathiam de Peech sacerdotem. Item iste bonus pater, dum redire voluisse de Terra Sancta ad provinciam, infirmitate praeventus, Venetiis obiit, sed socius suus redierat, qui tamen etiam et ipse per Turcas Budae interfectus est.

Item Anno Domini 1525 celebratum est capitulum provinciale in conventu de Zewles, ubi electus est in Ministrum Provincialem Pater *Frater Ioannes de Tharnok*.

Huius tempore, cum curreret annus 1526, venit iterum Turca cum ducentis millibus ad Hungariam, et obsedit castrum Petri-Varadini, et fortiter expugnans, licet cum periculo magno<sup>125</sup> sui populi, tamen finaliter per pulveres pixidicos murum ipsius castri sursum ponere fecit, et ita ingredientes Turci, taliter ibi cum Hungaris de castro exeuntibus aeriter pugnaverunt, quod ut dicitur sanguis occisorum ad modum rivuli fluebat circa portam castri, et usque ad tibias pugnatores utrinque in sanguine ambulabant, sed finaliter Turci praevaluerunt, non tamen vivos de Hungaris, qui remanserant, occiderunt, sed retinuerunt, et Caesari ipsorum portaverunt; ille autem ipsis liberum concessit vel transeundi ad Regem, vel cum suis Turcis remanendi facultatem, ex quibus pauci ibidem manserunt, alii omnes ad praedictum Dominum Paulum de Thomor Archi-Episcopum Colocensem et Capitaneum suum venerunt. Deinde Turcus paulatim ascendens, omnia castra circa Danubium situata obtinuit, et populum vel captivavit, vel occidit, et omnem igne et gladio<sup>126</sup> vastavit terram. Tandem Rex et principes Hungarorum, tarde vigilantes, et segniter convenientes castra metati sunt in campo Mohach. Ibi dictus Pater Frater Paulus de Thomor, Archi-Episcopus praedictus affuit ut supremus Capitaneus Regni cum Magnifice Domino Giorgio de Zepes, praesente ibidem et Ludovico

Rege Hungarorum ; ibique exspectato Caesare cum suo exercitu, tandem inito conflictu, victi sunt Hungari. Ibi Rex Ludovicus occisus est ; ibi Ladislaus Archi-Episcopus Strigoniensis interiit ; similiter Philippus More Episcopus Quinqueecclesiensis, Franciscus de Perén Episcopus Varadiensis, Franciscus de Chahol Csanadiensis, Georgius Episcopus Boznensis, et multi alii Ecclesiarum praelati interempti sunt ; ibi occisus est et praedictus Pater Paulus a Thomor Archi-Episcopus Colocensis et Capitaneus Hungarorum, similiter Magnificus Dominus Giorgius de Zepcs alter Capitaneus exercitus Hungarorum ; similiter Magnificus Dominus Ioannes Drakfi, Antonius de Paloch, Gabriel de Perén, et alii quam plures de potioribus nobilibus Regni <sup>127</sup> Hungariae, et pene omnes perierunt vel gladio, vel captivitate, exceptis his, qui se praesidio fugae liberarunt. Et tandem sic Caesar Turcorum magnifica Victoria potitus, ascendit usque Budam, cuncta igne et gladio consummens, accepit Budense Castrum, sed non combussit, civitatem tamen totaliter igne concremavit. Tunc Turcorum exercitus ex parte Budae ascendit prope Iaurinum, omnia igne vastando, ex alia parte alibi usque ad Szecsen, alibi ultra, et ita vastata Hungaria, ex altera parte per planitiem versus Tiziam ascenderunt usque ad Mező-Kövesd, et tandem descendentes venerunt ad Szegedinum et infra omnia vastaverunt, et perdiderunt igne, et homines vel captivos abduxerunt, vel occiderunt, et sic Hungaria, quac erat murus et antemurale totius Christianitatis, periit, et tandem Caesar, relinquens Budam sic vacuam et combustam, rediit ad Turciam. Tunc etiam perierunt multa claustra nostri ordinis, videlicet *Fwtak, Uylak, <sup>128</sup> Athia, Alsán, Perecske, Kewmlild, Pakos, Ozora, Geergy, Budensis conventus, Pesthiensis, Thata, Giongyös, Berény, locus de Szegedino*, innumerabiles aliae ecclesiae, tam secularium, quam religiosorum, ac monialium.

Anno Domini 1527 factum est capitulo provinciale in conventu nostro de Sarospatak in Dominica Iubilate, ubi iterum in Ministrum Provinciae Hungariae reeligitur praefatus Pater, *Frater Gabriel de Peech-Varadino* iam senio confectus. Huius tempore orta est maxima partialitas in Regno Hungariae

inter principes et nobiles, quia una pars adhaesit Ioanni Regi, quem prius communi voluntate Regia Corona coronaverunt in Alba Regali; tandem multi contra ipsum insurrexerunt, et adhaeserunt Regi Ferdinando Alemano, qui erat Archidux Austriae et Dominus Infans Hispaniac, frater uterinus Caroli Imperatoris, qui etiam habuit coniugem filiam Ladislai Regis Hungariae et (sororem) praedicti<sup>129</sup> Ludovici Regis, nomine Anna; quem iterum principes Hungari introduxerunt, et coronaverunt, et sic Hungaria vastata est tam per Alemanos, quam per Hungaros ab utraque parte sibi inimicantes, et pauperes plurimum affliti.

Item Anno Domini 1528, cum Ioannes Rex ad suum praesidium flexisset animum et cor Caesaris Turcorum, idem Caesar tempore messis cum maximo exercitu suo venit ad Hungariam, et cum eodem fuit et Ioannes Rex. Vniens Budam obsedit illam, et expugnavit, et introduxit Ioannem, et ibidem in sede sua reliquit, dimittens secum et aliquod centena Turcorum, quorum Capitanus Grythy; Caesar autem, tam cum navalii, quam cum equestri exercitu suo ascendit versus Viennam Austriae, et Strigonium, omnem partem terrae Hungariae ex utraque parte Danubii igne et gladio perdidit usque Viennam, pracsertim ex parte illa, unde ascenderunt equites, et homines vel captivarunt, vel occiderunt, et obsedit Viennam, et licet multum expugnavit, |<sup>130</sup> et in magna parte murum in diversis locis destruxerat, non tamen potuit capere, quia Dei misericordia subvenit christiano populo, et nix magna facta est, unde Turci, propter immensum frigus, dimiserunt obsessionem, et in descensu homines, qui remanserant in Rabakuz et Sokoro, iterum captivos secum deduxerunt, et sic iterum rediit in Turciam, relinquens Regnum Hungariae in manu Ioannis Regis. Item eodem anno circa festum Omnium Sanctorum Alemani cum Hispanis et illis Hungaris, qui partem Ferdinandi Regis tenebant, descederunt, ut dicitur 13 millia vel paulo plus, et obsederunt Budam, ubi Ioannes cum Grythy et aliis principibus Hungarum et Turcis inclusi sunt, et Alemani fortiter expugnabant, tam ex parte castri, quam etiam ipsam civitatem, et licet in ali-

quibus locis destruxerant murum civitatis, nullo modo tamen potuerunt obtinere, et sic cum rubore reversi sunt ad Strigonium,<sup>[131]</sup> dimittentes obsidionem, quia tunc iam Strigonium iterum ad partem Ferdinandi declinaverat per traditionem Pauli Archiepiscopi Strigoniensis. Ubi multi tam ex Alemanis, quam ex Hispanis mortui sunt, ita, quod tantum in claustro nostro mortui et sepulti sunt de Hispanis quadringenti et amplius, et tandem fecerunt treugam per annum pro pacis dispositione, sed nihil boni factum est, nisi pauperum oppressio valida, et multa mala operata sunt, quae scelus esset etiam cogitare.

Anno Domini 1529 factum est capitulo provinciale in conventu nostro de Secsen, ubi in Ministrum Provincae eligitur *Frater Martinus de Nagoch*. Et in illo capitulo passi sumus magnos timores et miserias per Alemanos, scilicet Lanczkeneth, quorum capitaneus erat quidam Cocianus nomine, homo crudelis; tamen pius Deus liberavit fratres de manibus ipsorum. Ipse Cocianus tandem ascendit versus Cassoviam et Liptoviam, et multa mala et pericula tam in ecclesiasticis, quam in religiosis domibus, et in communi populo patratus est. Alibi etiam<sup>[132]</sup> combustiones perfecit, tum claustrum nostrum Homonna combussit, tum castrum de Szepes per Nicolaum Derencheni famulum Ioannis Regis traditum est ad manus Cociani; similiter et Baymocz, et alia multa castra et possessiones circa Liptoviam, quae omnia ad Ioannem Regem iure patrimonii pertinebant.

Item anno Domini 1531 celebratum est capitulo provinciale in conventu Varadiensi, ubi eligitur in Ministrum Provinciac *Frater Albertus de Dereslyen* saepe dictus. Hic dum perlustrando provinciam visitaret, graviter infirmus venit ad locum de Palotha, et tunc currebat Annus Domini 1532, in Dominica Oculi diem clausit ultimum cum susceptione omnium sacramentorum, et ibidem sepultus est. Tandem commissarius suus, videlicet *Frater Emericus de Vörösfalva*, tunc custos custodiae S. Spiritus, intimavit mortem eius omnibus patribus provinciae, et convocavit eosdem ad Dominicam Cantate ad locum Palotha, atque convenientes omnes



potiores patres provinciae elegerunt in commissarium dicti Patris Ministri defuneti venerandum Patrem *Fratrem Benedictum de Aszonyfalsa*, et iste complevit officium ministeriatus dicti patris nostri defuncti.<sup>113</sup> Anno igitur eodem in aestate cum maxima potentia equestri Caesar Turcarum (advenerat). Videns, quod Alemani nolint pacem reformare cum Iohanne Rege, exivit, et per Simigium et Zalam ascendit ad Austriam, et vastavit illam partem Hungariae iterum igne et gladio, et incolas terrae illius partim occidit, partim captivos duxit, et stetit in Austria per tres menses vel ultra, exspectans Carolum Caesarem et Alemanos contra se ad pugnam, sed nullus venit, et vastavit similiter Alemaniam usque ad Aquisgranum (?). Sic per se quidem Turcus post descensum venit in Pest, et tamen nullum habuit conflictum, et sic iterum revertitur in authumno circa festum Michaelis per adiacentem terram circa flumen Mura et Drava, et sic totam Sclavoniam Turci vastaverant igne et gladio, et homines vel occiderunt vel captivos secum abduxerunt. Tunc temporis ex parte altera Turci ascenderunt cum multis navibus, et galeis, et nazadonibus, super quos Personalis Praesentia Caesaris fuit dictus Dominus Grythy; hi ascendentibus<sup>114</sup> Strigonium, obsederunt aream Strigoniensem; tunc Turci combusserunt iterum secundo civitatem Strigoniensem totaliter; tunc secundo iterum illud nobile monasterium Beatae Virginis Matris a fratribus inhabitatum combustum est totaliter, praeter corpus ecclesiae, quod per Dei misericordiam conservatum est, turris tamen nobilissima et campana combusta est. Similiter capitulum Dominorum Canonicorum combusserunt penitus, et nihil remansit. Ita tunc, et quavis aream idem Dominus Grythy cum Turcis et Hungaris satis valide expugnavit, et murum per longum spatium ex parte capituli versus S. Georgium de Viridi Campo destructum fuerit, non tamen potuit recipere (dicebant quidem, quod noluerunt Domini Hungari, timentes, ne forte ad manus Turcorum incideret arx ipsa, quia multo plures erant Turci quam Hungari), tamen ultimate Ecclesiam S. Alberti in arce cum bambarda magna ex parte meridionali sagittaverunt, atque ruinam non parvam passa est. Sagitta-

verunt etiam turrim, et unam campanam in parte fregerunt, et tandem relinquentes obsidionem, eo, quo et Caesar per Sclavoniam iam redierat, reversi sunt ad |<sup>135</sup> Budam iterum. At Alemani, in castro sic liberati, cuperunt iterum muros destructos reparare, ad cuius reaedificationem Dominorum et Canonicorum multas domos destruxerunt. Item tunc in isto exitu Turcorum, et ascensu, perierunt ista loca fratrum, scilicet: *Sellye*, ubi XI fratres cum quardiano sunt interficti; locus de *Csakan*, ubi duo fratres occisi; similiter et in *Hederhely*, licet locum non combusserunt, tamen ibidem unum fratrem occiderunt; item locus de *Zengroth*; item locus de *Petrocz*, et conventus *Strigoniensis*. Item post redditum Caesaris Turcorum, et mortem Magnifici Domini Andreae de Bathor, Egregius Vir Ludovicus Pökri de Varasd veniens ad occupandum oppidum *Kewrewshegh*, possessionem scilicet eiusdem Andreae de Bathor, dum famuli eiusdem essent inclusi in claustro nostro ibidem existente, et non posset excipere ipsos, combussit claustrum praeter ecclesiam. Haec multa mala, aliaque, quae nephas esset scribere, supervenerunt Regno Hungariae propter malitiam regnicularum Deo permittente.

|<sup>136</sup> Anno Domini 1533. celebratum est capitulum provinciale in conventu de Gywla in festo sacratissimae Pentecostes, in quo eligitur in Provinciae Ministrum *Frater Martinus de Nagocz* antedictus. Iste pater iam secundo est electus Minister Provinceiae, et a tempore generalissimi capituli, quo officium ministeriatu generalis a conventionalibus translatum est ad fratres observantiae, in ordine 8. provinciae Hungariae Salvatoris Minister fratrum minorum observantiae regularis. Item reverendus Pater Minister post suam electionem in conventus refectorio coram patribus et fratribus praesentavit quaedam paria literarum Excellentissimi Domini Doctoris Christophori Cassoviensis, Clementissimi Principis Domini Ferdinandi concionatoris supremi etc., quas quidam negotiator ad nundinas pro tunc in praedicta civitate Gywla de partibus superioribus veniens portaverat, et sic ad manus praefati Ministri venerant, quas etiam idem Pater Minister manifeste coram omnibus fratribus illic |<sup>137</sup> praesentibus per

semet ipsum legit. Sequitur tenor literarum: Venerabilis Domine! Inter alia hoc Dominationi Vestrae bono et fido animo et scribere et notificare curavi, quod (cuni) paucis ante diebus Regia Maiestas in Enypontem venisset, vulgo Inspruk, et praecipui oratores coram Sua Maiestate astitissent, praesente etiam Domino Tridentino Cardinali, iidem oratores viva voce palam ac manifeste, ad auditum omnium et totius suae Curiae proposuerunt, et affirmative indubieque retulerunt, quomodo magnus ille condam Dux Saxoniae Ioannes, qui *Lutheri* et eius sectac maledictae longo tempore tutor et defensor fuit fortissimus, adeo valida infirmitate praeventus et tactus, *ut* dum dire et acriter laboraret, iuxta Christi dictum: „Multipli-catac sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt, et per adiuvamen orationum multorum bonorum Christi fidelium, quoniam impossibile est orationes multorum non exaudiri,” recognoscens, per totam suam provinciam strictissimum emisit edictum, ut omnes et singuli Praelati, Capitulares, Religiosi et Doctores, ac Prudentes Literati, scientia |<sup>138</sup> praediti, alii quoque universae orthodoxae fidei cultores, quicunque essent, tam spirituales, quam etiam saeculares, semoto procul omni pavore, bona fiducia ante animae suae exalationem ad se vereire vellent et dignarentur, praecipiendo hoc idem firmissime, et mandando, ac etiam summopere Deum rogando, pollicens coram eis ultimam suam voluntatem loco testamenti firmissime facturam. (Ecce divina misericordia venerandae Dominae, quo ex lupo ferocissimo factus est agnus mansuetissimus). Quo facto mox convenerunt plus quam trecenti spirituales et saeculares, boni et sapientissimi viri, quibus iacendo in lecto aegritudinis, elevatis in coelum oculis et manibus copiose lacrymans, ciulans ac suspirans, talem solennem fecit protestationem: Subditi, inquit, fideles charissimi! ultra modum gratulor de vestro adventu, et quod venistis, omnibus gratias ago. Observo vos per gratiam et clementiam Dei Omnipotentis, ut dignemini Deum pro me misero peccatore exorare, ut Divina Maiestas mihi pareat, quidquid contra Deum, maxime autem contra fidem christianam egisse. |<sup>139</sup> Profiteor me coram vobis subductum per hunc doctorem male-dictum Lutherum fuisse, iamiam recognosco meam culpam, et

omnes errores meos revoco , sacrau denique antiquam fidem recognosco, teneo, veneror, in qua omnino mori volo, ad cuius corroboramen vobis praesentibus suscipere volo venerabilissimum Eucharistiae Sacramentum.<sup>4</sup> Et his dictis, omnes literas Lutherianas repertas in civitatibus et possessionibus per vi- cos et plateas incinerari fecit; quibus finitis, ut bonus prin- ceps et catholicus, facta prius plena et pura confessione auricu- lari catholico sacerdoti, Eucharistiae sacramentum flexis ge- nubus (O Divina pietas!) cum maxima devotione et fletu, si- mul etiam unctionis Sacramentum suscepit, ibi per eosdem spi- rituales et saeculares bonosque sapientes consolatus, maxima devotione iuxta latronis venerabilis, iuxta crucem Domini pen- dentis, tertio die ultimum clausit diem, cuius anima in Deo vivat. |<sup>140</sup> De Luthero tandem nefandissimo et sceleratissimo, cuius pestifera apostasia et mortis pabulo fuerat infectus idem princeps praeclarus, prout uxor Abbatissa Lutheri ipsius pro- testata est, et iidem oratores praecipui recensuerunt, quod cum rugitu et clamore maximo, tanquam leo rugiens et se re- mordens et discerpens, et omnino miserrimus, ratione priva- tus, omnes ad se venientes mirande verberibus invadens, fu- nibus ligari cogitur, seu custodiri, ne per ignem et aquam vel alias se interficiat; miserabiliter postremo horrende vitam fini- vit temporalem. De Erasmo quoque Roterodamo, idem, quem solemnis omnium universitatum mater et schola parisiensis haereticum sententialiter adiudicavit, quam sententiam idem praeclarus Doctor appellavit ad concilium generale, ubi, non credo Suam Excellentiam sese expugnare posse.<sup>4</sup>

Anno Domini 1535. celebratum est capitulum provin- ciale in conventu de Gyöngyös in Dominica septuagesima, in quo eligitur in Ministrum |<sup>111</sup> Provinciae *Frater Thomas de Pata* Senior, et est in ordine ministeriatus nonus.

Item Anno Domini 1537. celebratum est capitulum provinciale in loco nostro de Beriny in festo sacratissimae Pentecostes, in quo reeligitur in Ministrum Provinciae *Frater Martinus de Nagoch* antedictus. Iste pater iam tertio est elec- tus Minister Provinciae, et est in ordine ministeriatus decimus.

Anno Domini 1539. celebratum est capitulum provin-

ciale in conventu S. Ioannis Budae, in festo SS. Pentecostes, in quo eligitur in Ministrum Provincialem *Frater Mathias de Gorhi*, et est in ordine undecimus.

Anno Domini 1542. celebratum est capitulum provinciale in conventu S. Spiritus Varadini, in festo S. Purificationis B. Mariae Virginis, in quo eligitur *Frater Martinus de Nagoch* in Ministrum Provinciae, et iam quarto est electus, et est in ordine duodecimus.

<sup>142</sup> Anno Domini 1544. celebratum est capitulum provinciale in conventu S. Spiritus Varadini, in festo SS. Pentecostes, in quo eligitur in Ministrum Provinciae *Frater Emericus de Tivis*, et est in ordine 13.

Anno Domini 1546. celebratum est capitulum provinciale in conventu S. Spiritus Varadini in festo Pentecostes, in quo reeligitur in Ministrum Provinciae *Frater Mathias Gorhi* antedictus. Iste pater iam secundo est electus in Provincialem Ministrum, et est in ordine 14.

Anno 1548. celebratum est capitulum provinciale Varadini in conventu S. Spiritus in festo SS. Pentecostes, in quo reeligitur in Ministrum Provinciae *Frater Emericus de Tövis* antedictus. Iste iam secundo est electus, et est in ordine 15.

Anno Domini 1550. celebratum est capitulum provinciale in conventu S. Spiritus Varadini in festo SS. Pentecostes, in quo <sup>143</sup> eligitur in Ministrum Provinciae *Frater Nicolaus de Balabrinicz*, et est in ordine 16.

Anno Domini 1552. celebratum est capitulum provinciale in conventu S. Spiritus Varadini, in Dominica Cantate post Pascha, in quo eligitur in Ministrum Provincialem *Frater Benedictus Cherygy*, et est in ordine decimus septimus.

Anno Domini 1554. celebratum est capitulum provinciale in conventu de Szöllös, in festo SS. Pentecostes, in quo eligitur in Ministrum Provinciae *Frater Emericus de Tövis* antedictus, et tertio iam electus, in ordine 18.

Anno Domini 1558. celebratum est capitulum provinciae in conventu de Gyöngyös in Dominica Cantate, in quo eligitur in Ministrum Provinciae iam 4<sup>o</sup> *Emericus de Tövis*, in ordine 19.

Anno Domini 1559. celebratum est capitulum provinciae in conventu de Gyöngyös |<sup>144</sup> in quo eligitur in Ministrum *Frater Mathias de Ebrech*, et est in ordine vigesimus.

Anno Domini 1561. celebratum est capitulum provinciale in conventu Liptoviensi, in quo eligitur in Ministrum Provinciae *Frater Emericus de Tövis*, iam quinto, et es in ordine 21.

Anno Domini 1565. celebratum est capitulum provinciae in conventu de Gyöngyös in festo Purificationis B. V. Mariae, in quo reeligitur in Ministrum Provinciae iam sexto *Frater Emericus de Tövis*, et est in ordine 22.

Anno Domini 1567. celebratum est capitulum provinciale in conventu de Gyöngyös in Dominica Laetare, in quo reeligitur in Ministrum *Benedictus Czerögy*, iam secundo electus, et est in ordine 23.

Anno Domini 1570. celebratum est capitulum provinciale in conventu de Gyöngyös in Dominica Lactare, in quo reeligitur in Ministrum *Frater Emericus de Tövis*, iam septimo, in ordine 24.

|<sup>145</sup> Anno Domini 1572. celebratum est capitulum generale in conventu de Gyöngyös in Dominica Cantate, in quo reeligitur in Ministrum Provinciae *Frater Emericus* saepe dictus, iam octavo, in ordine 25.

Anno Domini 1574. celebratum est capitulum provinciale in conventu Gyöngyös, in quo eligitur in Ministrum idem *Frater Emericus*, iam nono, est in ordine 26.

Anno Domini 1579. celebratum est capitulum provinciale in conventu Szakolezensi in festo Sanctissimae Trinitatis, in quo eligitur in Ministrum Provinciae *Frater de Gyöngyös*, in ordine 27.

Anno Domini 1581. celebratum est capitulum provinciale in conventu Gyöngyös in Dominica Cantate, quod vocatur intermedium ex institutione Sanctissimi Domini Pii 5., quod Provinciales debeant in suis officiis stare 4 annis, sed revocatum est in capitulo generali Romae celebrato Anno Domini 1581.

Anno Domini 1583. celebratum est capitulum provinciale in conventu Gyöngyös, in quo eligitur in Ministrum *Ioannes de Gyöngyös*, in ordine 28. Eodem anno mortuus est.

Eius quidem vicem explere coactus est a patribus *Pater Franciscus de Gyöngyös*, tunc Quardianus Szakolezensis, sed neque hic potuit usque ad finem perducere officium, quia pariter mortuus est. Huius patris tempore orta est fames maxima in tota Hungaria propter nimiam siccitatem, et civitas Gyöngyös fuit combusta simul cum cathedrali ecclesia anno 1585, sed monasterium nostrum remanserat; hoc fuit in festo S. Ioannis Baptistae. Eodem anno fuit maxima pestis fere per totam Hungariam, et patres potiores provinciae mortui sunt omnes.

Anno igitur 1586. celebratum est capitulum provinciale in conventu Gyöngyös in festo SS. Pentecostes, in quo eligitur in Ministram Provinciac *Pater Thomas de Mohacz*, in ordine 29. Eodem anno mortuus est in conventu Gyöngyös in praedicta peste, et appositus est ad patres; Quardianus vero loci, videlicet Paulus a Szevelen intimavit mortem eius omnibus patribus provinciae, <sup>¶<sup>147</sup></sup> et convocans omnes patres provinciae, celebratum est capitulum provinciale.

Anno Domini 1586. in conventu Gyöngyös in festo S. Bartholomaei Apostoli, in quo eligitur in Ministram Provinciale *Pater Paulus de Szeleven*, et est in ordine 30. qui anno 1587. citatus est Romam cum custode custodiac, videlicet Patre Casparo de Várad concionatore Szakolcensi a Reverendissimo Patre Francisco Gonzaga ad generale capitulum ad festum SS. Pentecostes, et associatus est cum Ministro Austriae, et Commissario Poloniae, Patre Benedicto Leopolensi, qui simul iter agressi post festum Paschatis.

Anno 1589. celebratum est capitulum provinciale in conventu Gyöngyös in Dominica Cantate, in quo reeligitur in Magistrum Provinciac idem *Paulus*.

Anno 1592\*). celebratum est capitulum provinciale in conventu Gyöngyös, in Dominica Rogationum, in quo reeligitur idem *Paulus*, iam tertio, et est in ordine trigesimus primus\*\*).

<sup>¶<sup>148</sup></sup> Anno 1595. celebratum est capitulum provinciale in conventu Gyöngyösiensi, in die festo decollationis S. Ioan-

---

\*) Codex apographus erronee habet 1589.

\*\*) Rectius: trigesimus secundus.

nis Baptistae, in quo vicissim idem Pater *Frater Paulus* iam quarto reeligitur in Ministrum, in ordine 33.

Item 1596. celebratum est capitulum provinciale in conventu Gyöngyös, in festo purificationis B. V. Mariae, in quo eligitur in Ministrum Provinciae *Frater Georgius de Abda*, in ord. 34.

Anno 1599. celebratum est capitulum in conventu Gyöngyös, in Dominica Vocem iucunditatis, in quo eligitur in Ministrum Provinciale *Franciscus Emericus de Ujlak*, et est in ordine 35.

Anno 1602. celebratum est capitulum in conventu Gyöngyös, in Ministrum Provinciae *Frater Georgius de Abda* eligitur, in ordine 36.

Item Anno 1605. celebratum est capitulum provinciae in conventu Hradiensi in <sup>149</sup> Moravia 15. 8bris, in quo eligitur in Ministrum *Frater Ioannes Váradyi*, qui est in ordine 38.

Anno Domini 1612. in festo purificationis B. M. V. celebratum est capitulum in conventu Hradiensi, in quo eligitur in Ministrum Provinciale *Frater Stephanus de Udvarhely*, in ordine 39. Qui post suam electionem fatale debitum soluit in monasterio Gyöngyös, ibidemque sub lapide marmoreo tumulatur, cuius vicem *P. Bonaventura Daumius Commissarius Generalis* tenuit usque ad fratrum capitulum praedictus Pater de Varadino.

Anno igitur 1613. celebratum est capitulum in Dominica Cantate in conventu Gyöngyösiensi 5. May, in quo auctoritate Provincialis Generalis, praesidente praedicto *Ioanne de Varad*, electus est in Ministrum Provinciae idem Pater Ioannes, et est in ordine 40.

Anno 1616. celebratum est capitulum in festo S. Antonii de Padua, in quo praesidente Commissario Generali Gabriele Bonaventuro Daumio <sup>150</sup> eligitur in Ministrum scrutinio *Franciscus Mathias Saar Quardianus* praeteritus Gyöngyösiensis, et est in ordine 41. In quo capitulo, 16. Iunii a quodam incendiario nomine Szabo Miklos, ex Turcarum compositione civitas Szakolicensis fuit accensa et combustae sunt plus quam 300 domus. NB. Hic sex annis non fuit celebratum capitulum propter maxima disturbia ab haereticis orta.

Anno 1622. celebratum est capitulum in Szakolcza sub commissario *Patre Hiczou*, in quo resignatione facta . . . ministeriatus, *Pater Mathias Sap* eligitur in Ministrum, in ordine 42, in custodem vero *P. Michael de Somlio*, qui ambo fuerunt Romae in capitulo generali Anno 1625.

Anno 1626. celebratum est capitulum in Szakolcza die 30. Julii sub R. P. Antonio de Galbiato, Commissario Generali, in quo admissa resignatione Ministeriatus *R. P. Ioannis Varadi*, eligitur in primo scrutinio *R. P. F. Michael*<sup>151</sup> *de Somlyo*, in ordine 43., in custodem vero R. P. Georgius Zeleveni, qui moritur Szakolczae 8. Aprilis 1627. Patre Ministro tunc Gyöngyösini existente.

Anno 1629. celebratum est capitulum in Szakolcza die 29. Iuny sub R. P. Ambrosio Galbiato Commissario Generali, in quo admissa resignatione Ministeriatus *R. P. Michaelis de Somlyo*, in eodem quoque capitulo eligitur in Ministrum *R. P. F. Emericus de Gyöngyös*, qui et antea electus custos post mortem Patris Zelvenni.

Anno 1632. celebratum est capitulum in Szakolcza sub R. P. Ambrosio a Galbiato, in quo electus est in Ministrum Provinciae *R. P. Franciscus a S. Benedicto*, in ordine 45.

Anno 1635. celebratum est similiter capitulum in Szakolcza sub R. Patre Chumar, in quo electus *P. Ioannes Baptista Kullus*, qui vehementer affixit totius provinciae patres.

1638. in capitulo Galgoczi celebrato, sub eodem Patre Commissario Michaele Chumar, electus est contra formam et libertatem electionis,<sup>152</sup> vi et fraudulentia praesidentis Ministerii et Commissarii Pauli de Tauris Provincialis, qui potiores patres praevaluerat voce activa et passiva, ut sic ad libitum facerent ministrum, et custodem, *P. F. Ambrosius Snarski*, Polonus, Lector Theologiae, qui simul cum praecedenti ministro practicans, multum minabatur provinciae, et per Bullas Pontificias conabatur eligi iterum in Provinciallem. Divina instigatione factum, ut in via, in flumine Vag ex infirmitate mortuus sit ante capitulum futurum, et ideo R. Pater Bernardinus Szakolczensis Vicarius Provinciae electus, venit medio anno in provinciam, in ordine fuit 46 minister. Ideo

caveant vehementer fratres electores, ne unquam imposterum inter nos tales admittant; tunc enim omnis natio externa dominabatur in fratres, et nostros indoctos, stultos appellabant, et insufficientes ad regendam provinciam.

Post obitum Patris Ambrosii Poloni celebratum est capitulum provinciale in conventu Szakolcensi Anno 1641. 23. Iunii sub R. P. F. Francisco Maxentio coimmissario generali, in quo <sup>153</sup> unanimi consensu Reverendorum Patrum Definitorum et patrum vocalium eligitur in Ministrum Provincialem *R. P. J. Andreas Czoma*, Quardianus praeteritus Gyöngyösiensis, et sic (post) hos duos Patres Provinciales extraneos Deus optimus fuit miseriatus nostri, et dedit tranquillitatem in provincia, etsic iterum provincia postmodum ad suum statum rediit. Iste pater est in ordine ministerius 46., si excipiuntur duo provinciales extranei a numero fraudulentorum electi.

Sub isto capitulo fundatus est conventus Pruskensis Anno Domini 1642.

*Finis Cronicae Minorum de Observantia in Hungaria.*

---

#### APPENDIX I.

*Fratres interfici in Provincia Hungariae S. Salvatoris ab anno circa 1526 quo videlicet anno profigati sunt (Hungari) per Turcos in Campo Mohács.*

Reverendissimus Pater Frater Paulus Thomori Archiepiscopus Colocensis, in bello Mohacz in Beryth.

Frater Urbanus de Kövesd sacerdos ibidem.

Frater Gregorius de Rakos, ibidein.

*Item Buda 1526.*

Frater Johannes de Pruscia sacerdos.

Frater Nicolaus de Brezrolet sacerdos.

Frater Mathias de Pest sacerdos.

Frater Nicolaus de Vercuche sacerdos.

Frater Georgius de Ezek laicus barberius.

Frater Ambrosius de Comar laicus.

Frater Leonardus de N. laicus.

Frater Blasius de Eulewd laicus sacrista de Ujlak.

*In Conventu Pestensi Anno Domini 1526.*

Frater Michael de Diako sacerdos.

Frater Georgius de Oemanks sacerdos.

Frater Nicolaus de Kezi laicus.

Frater Helius de Czepel laicus.

*Item Strigonii Anno Domini 1526.*

Frater Augustinus de Tarkan sacerdos.

Frater Bernardus de Vársárhely laicus.

Frater Clemens de Vaya laicus.

Item eodem anno Frater Michael de Zewlevs laicus, cum uno fratre sacerdote iuxta lacum Balaton occisus repertus est.

*Item Anno Domini 1526. in loco Palotha de custodia S. Spiritus per Turcos.*

Frater Andreas de Vásárhely sacerdos.

Frater Petrus de Bya laicus.

Frater Andreas de Mochola laicus.

Frater Antonius de S. Ladislaus sacerdos in obsidione Budae ictu bombardae interiit 1528.

*Item anno Domini 1529. Budae interficti sunt*

Frater Benedictus de Nemetujvár sacerdos.

Frater Stephanus de Nagi Dobos sacerdos.

Frater Laurentius de Banya sacerdos.

Frater Andreas de Ujlak Pest sacerdos.

Frater Paulus de Vazar sacerdos.

Frater Iohannes de Litvhanya laicus.

Frater Ioannes de Brassovia laicus.

Frater Gregorius de Tholna sacerdos.

Frater Gregorius de Patak laicus.

*Item eodem in Transilvania in conflictu Wolachorum Moldavienium in contratis Brassovien sibus tres fratres interficti sunt videlicet Frater Georgius de Bogacs sacerdos cum aliis duobus.*

*Item eodem anno in Selavonia, in contratis Remethinis, per Turcos interficti:*

Frater Martinus de Vathja sacerdos.

Frater Paulus de Nard laicus.

Frater Balthazar clericus in loco Petrocz.

Frater Petrus de Diako laicus in loco Athina.

Item in *contratis Strigoniensibus* per Turcos frater Stephanus de Decz sacerdos occisus.

Item *Lipthoviae* Frater Andrcas de N. sacerdos.

Item in *Galgocz* Frater Leonardus de Aravia sacerdos per Turkos.

Item in *contratis Galgocz* per latrones Hungarorum :

Frater Petrus de Miskolcz sacerdos.

Frater Thomas de Papa laicus occisi sunt.

Item anno Domini 1532. Turco ascende in loco de *Sellie* de custodia Ozorae passim occisi sunt fratres

H. P. Georgius de Nagy Bard sacerdos Quardianus de Sellje.

Frater Laurentius de Hagimas sacerdos ibidem.

Frater Mathias de Beleske sacerdos ibidem.

Frater Mathaeus de Visegrad sacerdos ibidem.

Frater Nieolaus de Sellya sacerdos ibidem.

Frater Nicolaus de Bodacza sacerdos ibidem.

Frater Michael de Hederbel laicus ibidem.

Frater Albertus de Bora laicus ibidem.

Frater Blasius de Gywla laicus ibidem.

Item in loco *Csakan* in custodia Ozora 1532.

Frater Dionysius de Bor sacerdos ibidem.

Frater Georgius de Petonya sacerdos ibidem. Duo alii fratres ibidem.

Item frater Michael de Zculews sacerdos in *Silagjság* per Volachos occisus est.

Item frater Nicolaus de Zraz sacerdos per Ruthenos occisus est.

Item anno Domini 1545.

Frater Petrus de Merenye laicus in loco *S. Spiritus* nocte occisus est per latrones.

Frater Georgius de Kaproncza laicus in *contratis Ozorae* per latrones.

Frater Laurentius de Berény laicus in *Baranya* per Hungaros occisus est.

Frater Benedictus de Zerdahely laicus.

Frater Michael de Erews laicus *non longe a Pest* per Turcos trucidati sunt.

*In custodia Jeniū*: In loco de Zegedino 1552.

Frater Thomas de Szegedino sacerdos.

Frater Ladislaus de Zador sacerdos.

Frater Bernardus de Liska clericus per Turcos interfici sunt.

Item *anno Domini 1553*.

Frater Franciscus de Uylak Guardianus de Zalard per famulos magnifici Domini Wolfgangi (Csaki) interfectus est.

Item *anno Domini 1563 in custodia Strigoniensi* per luteranos *prope Villam Isaszegh*:

Frater Jacobus de Velkeez sacerdos,

Frater Petrus de Vasarhely laicus in silva occisi sunt.

F. P. 1508.

•

#### APPENDIX II.

